PATROCINII
DEBITORUM
CALAMITATE BELLI
depauperatorum
PARS SECUNDA,
De Ceſſione bonorum & Datione prædiorum in ſolutum,

An, quando, & in quibus debitoribus habeat locum?

AUTHORE

CASPARO MANZIO

JURIUM DOCTORE, REV^mi ATQUE JLL^mi PRINCIPIS EPISCOPI AUGUSTANI, NEC NON SEREN^mi DUCIS NEOBURGICI CONSILIARIO, atque in Electorali Univerſitate Jngolſtadianâ Profeſſore ordinario.

Editio Secunda auctior & emendatior.

NORIBERGÆ,

Typis & ſumptibus WOLFFGANGI ENDTERI.

Anno M. DC. XXXX.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ILLVSTRI MAGNIFICOq́ VIRO AC Domino,

BARTHOLOMÆO RICHEL in Neudlingen &c.

SERENISSIMI BAVARIÆ DVCIS ELECTORIS Conſiliario intimo, ac ſupremo Vice-Cancellario,

Præfecto Roſenhaimenſi;

Debitæ venerationis & gratitudinis cauſâ

D. D. D.

Author.

Imp. Juſtinianus,

L. un. in princ: C. de caduc. toll:

Quod belli calamitas induxit, hoc pacis lenitas ſopiat.

Idem.

Novell: de fidejuſſ: 4. c. 3. circ. fin.

Undiq; ita creditoribus providendum eſt, vt non debitores graventur.

IN-

QUÆSTIONUM DECADIS SECUNDÆ.

Quæſtio I. *Vtrum debitores, qui ſine ſuo vitio, ſed belli calamitatibus deſierunt ſolvendo eſſe, adigi poſſint ad hoc, vt bonis ſuis cedant?*

Quæſtio II. *Quid requiratur ad hoc, vt debitores beneficio Novellæ 135. gaudeant, & à ceſſione bonorum liberi ſint, & immunes?*

Quæſtio III. *Quibus in caſibus ceſſet beneficium Novellæ 135. ita vt debitores depauperati, adhuc hodie bonis cedere, vel carceres ſubire cogantur?*

Quæſtio IV. *Quis probare debeat, debitorem non ſolvendo, & belli calamitatibus depauperatum eſſe?*

Quæſtio V. *Quomodo probetur depauperatio?*

Quæſtio VI. *Vtrum debitor, qui calamitate belli ad inopiam redactus fuit, poſſit bonis cedere, ſi velit?*

Quæſtio VII. *Quænam maximè at-*

tendenda in ceſſione bonorum calamitoſis debitoribus permittenda?

Quæſtio VIII. *Quibus in caſibus ceſſet beneficium ceſſionis; ſive qui bonis cedere non poſſint?*

Quæſtio IX. *Vtrum moderni debitores calamitate belli depauperati cogantur, ſi aliud non habent, prædia ſua vendere, vel ea creditoribus in ſolutum dare?*

Quæſtio X. *Vtrum in debitoris arbitrio, & poteſtate ſitum ſit, prædia ſua invitis creditoribus in ſolutum dare, ſi ipſe velit?*

QVÆSTIO I.

Vtrum debitores, qui ſine ſuo vitio, ſed belli calamitatibus deſierunt ſolvendo eſſe, adigi poſſint ad hoc, vt bonis ſuis cedant?

SVMMARIA.

1. *Ratio ordinis.*
2. *Ceſſio bonorum liberat à carcere, & ab addictione ad operas.*
3. *Status præſentis Quæſtionis, & n.24.*
4. *Ratio dubitandi.*
5. *Debitor non ſolvendo exiſtens detrudendus in carcerem.*
6. *Niſi velit bonis cedere.*
7. *Lex ſui naturâ eſt vniverſalis.*
8. *Verba generaliter prolata generaliter ſunt accipienda.*
9. *Lex generaliter loquens generaliter debet intelligi.*
10. *Ceſſio bonorum eſt beneficium, adjutorium, auxilium, aſylum, & remedium miſerorum 13. vltimum 23.*
11. *Ceſſionis definitio.*
12. *Ratio cur ceſſio dicatur beneficium.*
13. *Beneficia latiſſimè explicanda.*

14. *Ceßio non ſimpliciter eſt beneficium, ſed cum addito flebile, miſerabile. &c. & quare?* 15.
16. *Ceßionis beneficium non appetendum.*
17. *Paupertas aliquando prodeſt.*
18. *Ab hoc prodeſſe libera nos Domine.*
19. *Invito non datur beneficium.*
20. *Mitius remedium præ duriore eligendum.*
21. *Ceßio non eſt ſimpliciter beneficium, ſed habito reſpectu ad incarcerationem.*
22. *Inter duo mala minus eligendum.*
25. *Ad Ceßionem bonorū nemo præcisè poterat*
26. *cogi, ſed conditionatè, ſi carcerem vel addictionem volebat ſubterfugere.*
27. *Beneficium Novellæ 135. longè pinguius & benignius eſt beneficio ceßionis. & n. 32.*
28. *Summa beneficij Novell. 135.*
29. *Verba Novellæ 135.*
30. *Ex accidenti res ſuas amiſiſſe quis dicatur?*
31. *Ratio cur non cogatur cedere bonis, qui caſu fatali ad inopiam redactus eſt.*
33. *Ceßionis bonorum an Iulius Cæſar auctor?*
34. *Leniora præferenda aſperioribus. Poſteriora derogant prioribus.*

1. POſtquam in ſuperiori decade ad longum deduxi,* debitores modernos, calamitate belli depauperatos, non poſſe carceribus mancipari, vel ado-

ad operas creditoribus addici, modus autem liberandi â carceribus eſt * ceſſio bonorum, 2.
*L.1.& ibi Dd.C.qui bonis ced.poſſ.*Greg.Tholoſ.
Syntagm.Iur.vniverſ.p.3.lib.22.c.13.num.1.Matthias Stephani ad Novell.135.n.5. vid. quæ ſcripſi ſupra decad.1.q.7.num.1.& q.4.num.12.Franciſ. Hotom.quæſt.illuſt.q.26.verſ. lata eſt enim. Ideo nunc quæritur: * vtrum debitores calamitoſi 3.
neceſſariò hunc modum amplecti, & ſi carceres vel addictionem ad operas evitare velint, ſuis bonis cedere cogantur?

Ratio dubitandi * deſumi poteſt ex *d. L.* 4.
1.C. qui bon. ced. poſſ. vbi Doctores tradunt: quod * debitor conventus, ſi non poſſit ſatis- 5.
facere, detrudendus ſit in carcerem, *per notata ſupra decad.1.q.4.n.19.Henric.Caniſ.in tract. de cenſ. c.11.num.2. §.tertium eſt.* vbi tam diu detineatur, donec ſolvat, vel alius commiſeratione ductus ſatisfaciat, Schneid. *ad §.f. n. 2.inſt.de act.* niſi velit cedere bonis *per d. L. 1.* nam ceſſio * bonorum id operatur, quod de- 6.
bitor ad inopiam converſus volens cedere bonis in carcerem non detrudatur, *d. L. 1. vbi gl.Bart.Bald.& alij.* Matth. Brun. *in tract. de ceſſ.bon.q.3.princ.n.1.* Greg.Tholoſ. *d.c.13.n.1.* vel ſi jam detruſus eſt vt â carcere liberetur, Schneid.*loc.cit.*confer notata ſupra *decad. 1. q. 7.n.1.& ſeqq.* Cum itaque hæc doctrina vniverſalis ſit, videtur vniverſaliter de omnibus

omninò debitoribus, etiam belli calamitate
7. depauperatis intelligenda, tum quia * Lex ſui natura eſt vniverſalis & generalis, *Novell. 84.c.2.L.1.L.8.ff.de LL.* Gail. *1.de PP. c.1.n.10.L. properandum 13.in pr.C.de judiciјs, L. humanum 8.v. formam generalem C. de LL.* & in communi ſine complexu perſonarum ſpectat ad o-
8. mnes, Weſenb.*n.4.ff.de LL.* Tum quia * verba generaliter prolata generaliter ſunt accipienda, *L.antiquitas 14. ibi: quare enim C. de vſufruct.& habit.Card.Tuſchus commun. concluſ.*
9. *lit.D.concluſ.488.* & * lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, *L.1. §.1.ff. de legatis præſtand.confer.decad.1.q.1.n.46.*

Confirmari poſſe videtur inde: quia apud
10. omnes in confeſſo eſt, quod * ceſſio bonorum ſit beneficium, *text. in d. L.1. C.qui bon. ced.* adjutorium, *L. pen. C.eod.* & auxilium, *L. f.C.eod.* vel aſylum & remedium, ad quod miſeri debitores confugere ſolent, Schneid. *loc. cit. num.1.* Matthias Stephani *ad Novell. 135. num.5.* Matth. Brun. *de ceſſ.bon.q.1.num.1.* (ubi
11. definit * ceſſionem bonorum eſſe remedium ſive beneficium, debitori pro carceribus evitandis conceſſum, & reddit ibidem ratio-
12. nem, cur dicatur * beneficium: quia benefacit debitori, ne in carceribus detineatur, *aliam rationem vide apud* Matth. Steph. *n. 5.*) cum itaque beneficia latiſſimè ſint explicanda,

da, *c.olim 16. extra de V. S. c. cum dilecti. extra. de donat. L.3. ff. de conſtit. Princip.* ideo non apparet, cur ceſſio non etiam ad debitores, de quibus loquimur, ſit extendenda, præſertim cum ceſſio * ſit miſerorum, Gregor. Tholoſ. 13.
loc.cit.c.9.num.11. Brun. *quæſt.10. quartæ quæſt. princ. num.1. & 2.* nemo autem eſt, ex debitoribus belli infortunio depauperatis, qui non libenter fateatur, & publicè profiteatur, ſe miſerum eſſe in excellēti gradu, *vid. inf. quæſt. 9. num.65.*

Verum quia ceſſio * non eſt ſimpliciter au- 14.
xilium, ſed cum addito miſerabile, *L. 8. C. qui bon.ced.* non ſimplex adjutorium, ſed inſuper flebile, *L. 7. C. eod.* non abſolutè beneficium, ſed ſimul lamentabile, & miſerabile, Matth. Steph. *loc.cit. n.4.* Menoch. *de arbit. jud. quæſt. cent.2. caſ.183. num.11*, quia * miſerum facit ce- 15.
dentem, ex eo, quod præter tantam ejus paupertatem & inopiam, ad quam vergit, vix ei dimittitur interula, *vid. inf. n. 76. & q. 6. num. 62.* & quia ipſa miſeria & inopia flebilis eſt cauſa ceſſionis admittendæ, Matth. Brun. *q.1. n.1.* Ideo nō video, quare debitores hoc ipſum
* beneficium velint appetere, & non potius 16.
omnib⁹ modis averſari, Dominumq; DEUM inſtanter rogare, vt ab ipſis clementer âvertat, in litanijs pſallendo, & dicendo: *vt â ceſſione bonorum nos liberare digneris*: *Te roga-*

rogamus audi nos; quemadmodum in ſimili Cynus *in L. ſi quis ad declinand. 49. C. de Epiſc. & Cler.* cum animadvertiſſet Doctores pau-
17. pertatem * eo nomine commendare, quod in quibusdam caſibus proſit (quemadmodum *in §. 6. inſtit. de excuſa. Tuto. § 1. inſt. quibus ex cauſis manu. non lic.* & multis alijs, de quibus vide Eberhardum Spekan *q 37.*) ipſe hoc commodum paupertatis adeò appetebat, vt
18. diceret: ab hoc * prodeſſe libera nos Domine, referente Schneid. *n. 11. inſt. quibus ex cauſ. man. non lic.* & Paulo Matth. Wehnèro *pract. obſer. lit. A. v.* **Armut.** Multò minùs video, quare velimus hoc ipſum ceſſionis beneficiũ debitoribus, etiam reluctantibus & invitis
19. obtrudere, cum invito * non detur beneficiũ, *L. invito 69. ff. de R. I. L. invitus 156. §. 4. ff. e. d. Card. Tuſchus. lit. B. concluſ. 52. vid. inf. q. 9. n. 152.* Eſto enim, quod miſeri ſint, tamen ſi aliud, &
20. quidem mitius * remedium ad ſublevandam ſuam miſeriam habent, cur ad hoc ſtatim
21. confugerent? *vid. inf. q. 6. n. 35.* cum non ſit * bonum abſolutè, & (vt Theologi loquuntur) ex integra cauſa. Quamvis enim reſpectu carcerationis, quam hoc remedio ſubterfugere licet, aliquo modo bonum dici poſſet, & eo nomine etiam beneficium, vel potiꝰ comparatione cum carceribus habitâ minus malum, *vid. inf. q. 9. n. 152.* & proinde præ majore

* ma-

* malo eligendum, ceſſioque carcerationi 22.
præferenda, *argt.c.duo mala.diſt.13.L.quoties 200.ff.de R.I.* tanquam id, in quo minus periculi debitor perpeſſurus eſt, *c. nō ſolum 7. cauſ. 22.q.4.* Weſenb.*in parat.n.3.ff.de ceſſ.bon.* Nihilominus tamen, quia beneficium ceſſionis eſt remedium * vltimum, Schneid. *loc.cit. n.1.* 23.
ideo non ſtatim à principio voluntariè ad illud deſcendendum. Et quia hoc loco quæritur, * vtrum moderni debitores calamitoſi 24.
cedere poſſint, ſi velint (de hoc enim agam *inf.q.6.*) ſed potius: vtrum ad hoc cogi debeant, ſi vel maximè nolint? ideo à beneficio abſtrahere, & illud ſolum indagare oportet, quouſque juxta diſpoſitionem Legum vrgeri, & vtrum inviti & reluctantes ad ceſſionem bonorum queant adigi?

Si velimus Jus antiquum Digeſtorum & Codicis inſpicere, non potuerunt quidem * 25.
debitores præciſè cogi ad cedendum bonis ſuis, (quâ de causâ titulus in Codice ſic eſt inſcriptus: *qui bonis cedere poſſunt*; & nō ita: *qui bonis cedere coguntur*) ſed ſi * vel addictionem 26.
in ſervitutem, *vid.ſup.decad.1.q.8.n.10.* vel detruſionem in carcerem vitare volebant, ad hoc lamentabilé remedium tanquam ad aſylum confugere debebant, *per L.1.& quæ ibi notant.Dd.C.d.T.Matth.Stephani loc.cit.n.2.& 4.* ſed Imperatoris Juſtiniani benevolentiâ longè

gẽ pinguius * beneficium præſtitit, & vt in alio caſu loquitur, *§.ſed noſtra 6. inſt. de hæred. qual, & diff.* conſtitutionem tam æquiſſimam quam nobiliſſimam ſcripſit, cujus tenorem ſi obſervaverint calamitoſi debitores, licet eis carcerem & addictionem ſubterfugere, ita vt nec ceſſionis auxilium ſit eis neceſſarium. Re-
28. miſit enim * Imp. Juſtin. neceſſitatem carceris ſuſtinendi, vel bonis cedendi ijs, qui juraverint ſe non eſſe ſolvendo, ſi non ſuo vitio, ſed adverſis caſibus, ad inopiam redacti ſint, *Jul. Pacius Iſagog. in digeſta ad tit. de ceß. bon. n. 4. inf.* De quo eſt integra *Novell. 135. ſic inſcripta: ne quis cogatur bonis cedere*, in qua inter cætera
29. „ hæc verba habentur: * vbiq; locorum ju„ ſtum eſt, vt is, qui in vniverſum ex accidẽti, „ non ſupinâ negligentiâ, res ſuas amiſiſſe tra„ ditus eſſet, denuò per vim ad ignominio„ ſam vitam tranſponatur, & ad quotidiani „ victûs, neq; non (vt licet conijcere) amictûs „ corporis inopiam adigatur. De his edocti, „ alacriterq; cupientes, id quod deterius eſt, „ per meli⁹ corrigere, quò magis ea re omniũ „ optimus DEus concilietur, neq; calamitoſi „ aliquid noſtris geratur, inq́; vſu habeatur „ temporibus, ſancimus, vt nemini glorioſis: „ aut magnificentis: magiſtratuum liceat rei „ (i. e. crediti) causâ ceſſionis bonorum ne„ ceſſitatem alicui eorum inferre, qui de prædictis

dictis cauſis (i. e. pecunijs publicis vel priva- „
tis) judicium ſuſtinent, aut hujuſmodi con- „
tumelijs vti, ac prætextibus, perinde quaſi „
dum *corporis ſupplicium* ipſi remittitur, ma- „
luerit rerum ſuarum amiſſionem capeſſere „
potius, quàm cum inopiæ jugo itidem ad „
mortem vſque premi *opprobrio ignominiæ*. „
Quid autem ſit * ex accidenti res ſuas ami- 30.
ſiſſe id colligi poteſt ex *§. 2. inſt. quibus mod. re contra.* & docet Gothof. *in addit ad* Schneid. *§. fin. n. 14. inſt. de actio.* vbi ait: qui ſine ſua culpa, ſed caſu fortuito, incendio, bello, latronũ vel aquarum incurſu ad inopiam redactus eſt, vid. Hotom. *q. 26. verſ. legis autem Iuliæ.* Cujacium *ad d. Novell. verſ. verum eos.* additque Gothof. *loc. cit.* rationem, quare * talis cedere 31.
non cogatur, iſtam: quia videtur *magna infamia* inuri eâ ratione cedenti bonis; ibi autem nulla pœna eſſe debet, vbi nullum eſt delictũ, *L. ſancimus C. de pœnis.*

Et quia hoc Jus, quod Imperat. Juſtin. introduxit, non modò * benignius eſt Lege illâ 32.
de cedendis bonis (quam * Julius Cæſar con- 33.
ſtituit; *L. Legis Iuliæ 4. C. qui bonis ced.* Gregor. Tholoſ. *loc. cit. c. 14. n. 1.* Franciſ. Hotom. *q. 26. verſ. lata enim*, vbi dicit, ſibi nõ ſatis conſtare, an Auguſtus fuerit) verum etiam poſterius, ideo meritò prę altero tenendũ & amplectendum; cùm quia * leniora præferenda aſperio- 34.
ribus.

ribus, *argt.L.ſemper 56.ff.de* R.I. *arg.* L. *ea quæ* §.*1 ff. de* R.*I.* tum quia poſteriora derogant prioribus, *L.fin.ff.de conſtit.* Princip. L.*38.ff.de* LL.L.*1.ff.ad* L.*Aquil.c.vlt.de reſcript.in 6.*

SVMMARIA.

35. *An beneficium* Nov. *135. competat etiam illis, qui adhuc aliquid habent? Reſp. affirm. 38.*

36. Ratio *dubitandi ex verbis* Novell. in vniverſum *res ſuas amiſiſſe.*

37. *Vniverſum quid ſignificet?*

39. *Ratio decidendi prima.*

40. *Bonis cedere eſt bona ſponte dimittere.*

41. *Privatio præſupponit habitum.*

42. *Non poteſt videri deſiiſſe habere, qui nunquam habuit.*

43. *Ceſsio bonorum præſupponit bona.*

44. *Excuſatione non eget, qui ne volens admittitur.*

45. *Opinio eorum, qui volunt, etiam nihil habentem bonis cedere poſſe, & textus ad hoc allegatus, n.47.*

46. *Quid operetur talis ceſsio ſecundum illos.*

48. *Nugatio videtur, vt bonis cedat, qui bona non habet.*

49. *Explicatio* L.*7.C.qui bonis ced.poſs.*

50. *Filiusfamiliàs bonis cedere poteſt.*

Cenſus

51. *Cenſus & nihil in cenſu habere quid ſignificent?*

52. *Adventitium peculium habens nihil in cenſu habet.*

53. *Adventitij peculij vſumf. pater habet, qui & ipſe cenſus decimas & tributa præſtat 54.*

55. *Onera realia ad vſufructuarium ſpectant.*

56. *Executio in peculio adventitio fieri poteſt.*

57. *Bona peculij adventitij ſine patris licentia an & quando alienari poßint?*

58. *Cedere bonis poteſt, qui nihil in cenſu habet.*

59. *Novæ interpretationes non ſunt aſpernandæ.*

60. *Iuriſconſulti in ſuis gloßis & interpretationibus non ſunt adſtricti ad ſenſum quem tenuit antiquitas.*

61. *Explicatio d.L.7. à gloſſa tradita.*

62. *Actio de peculio tenet, & ſi nihil ſit in peculio, & quare? 65.*

63. *Peculium legari poteſt ei, qui nihil in peculio habet, & quare? n.66.*

64. *à Separatis mala fit illatio.*

65. *Quantitas peculij inſpicitur tempore rei judicatæ.*

67. *Legatorum dies à morte teſtatoris cedit.*

68. *In Ceßione bonorum conſideratur tempus præſens.*

69. *Ceßionis cauſa finalis ex parte creditorum.*

70. *Futurum omne incertum.*

71. *Futuris bonis an cedere poſſit, qui nihil habet?*

72. *Calamitoſi debitores carcerari nequeunt, & beneficio competentiæ gaudent, absque eo quod bonis cedant.*

73. *Ratio decidendi ſecunda.*

74. *Calamitoſum eſt debitoribus abſtrahere, quod milites reliquerunt.*

75. *Calamitoſi debitores non debent ad ignominioſam vitam, & ad quotidiani victûs & amictûs inopiam adigi.*

76. *Cedenti bonis nihil relinquitur, præter quotidianas & viles veſtes* 77.

78. *Veſtes etiam damnatis ad mortem relinquuntur, & multò magis carceratis* 79

80. *Vbi eadem ratio, eadem eſt juris diſpoſitio.*

81. *Creditores qui calamitoſos ſuos debitores ad ceſſionem vrgent, non facile finem ſuum aſſequuntur, & n.* 93.

82. *Audiendus non eſt, qui nihil aliud quærit, quàm vt noceat alteri.*

83. *De duritia meritò redarguendus, qui nihil aliud quærit, quam vt miſerabilem debitorem magis affligat.*

84. *Ceſſione factâ creditores non propriâ auctoritate dividere debent bona, ſed ea vendere & ſubhaſtare.*

85. Or-

85. *Ordo exetutionis poſt ceſſionem bonorum factam.*

86. *Ius reale habens præfertur habenti tantum actionem perſonalem.*

87. *Prior tempore potior jure inter hypothecarios.*

88. *Vxor marito ad inopiam vergente dotem ſuam repetere poteſt.*

89. *Vxor habet ratione dotis hypothecam, & privilegium præ omnibus alijs anterioribus hypothecis.*

90. *Liberi primi matrimonij ſecundæ vxori præferuntur.*

91. *De bonis debitorum calamitoſorum venditis vix mulieribus & liberis primi matrimonij ſatisfieri poſſet.*

92. *Cedens bonis aliqua retinere poteſt.*

94. *Ad rarò accidentia jus non accommodatur, ſed ad ea, quæ frequentiùs contingunt.*

95. *Inopes etiam ſunt, qui prædia inculta poßident.*

96. *Quia ſæpe neque victum neq; amictum neceſſarium habent.*

97. *Nemo de vento vivere poteſt, vel de incultis prædijs.*

98. *Calamitoſi debitores non debent denuò ad quotidiani victûs & amictûs inopiam adigi.*

99. *An debeant bonorum venditionem pati? vel bona in ſolutum dare?*

100. *Quod non eſt, vendi non poteſt.*

101. *Id ſuper quo agendum, debet eſſe in rerum natura.*

102. *Calamitoſi debitores jurare debent, quod neq; aurum neq; occaſionem pecuniariam æris alieni ſolvendi habeant.*

103. *Verba Novell.* nullam rerum causâ occaſionem *quid ſignificent?*

104. *Calamitoſus debitor jurare debet, ſi quas res mobiles acquiſierit, quod creditoribus velit ſatisfacere, & an idem in immobilibus?*

105. *Argumentum ab acquirendis ad acquiſita jam ante habita non procedit.*

106. *Faciliùs amittuntur ſperata quam poſſeſſa.*

107. *Charius eſt modicum præſens, quam multa futura.*

108. *Non eſt par & eadem ratio ſuum amittere, & lucrum non capere.*

109. *Omne futurum deſpicitur, ſuadentq; magis præſentia fructum.*

110. *Futurum omne incertum.*

111. *Qui incarcerari non poteſt, neq; ad ceſſionem bonorum vrgeri poteſt, num. 118. & quare num. 116.*

112. *Exempla in Doctoribus, militibus, & maritis.*

113. *Argumentum ab incarceratione ad ceſſionem bonorum negativè procedit, & quomodo affirmativè?*

114. *Qui*

114. *Qui carcerari poteſt, ad ceſſionem bonorum cæteris paribus admittendus eſt.*

115. *Quando id non procedat.*

117. *Ceſſante cauſa beneficij, ceſſat beneficium.*

119. *Vbi finis non ſperatur, fruſtra media aſſumuntur.*

120. *Fruſtra expectatur, cujus eventus nihil operatur.*

121. *Ceſſio calamitoſis debitoribus non eſt neceſſaria ad conſequendum beneficium competentiæ.*

122. *Habito effectu media omnia ſunt ſuperflua.*

123. *Privilegium competentiæ habentes non coguntur bonis cedere 126.*

124. *Belli calamitate depauperatus habet beneficium competentiæ 126.*

127. *Beneficium competentiæ habent Doctores 128. Clerici. 129. milites 130. Mariti. 131. donator factus inops ante traditionem; & hi omnes cogi non poſſunt ad cedendum bonis.*

132. *Argumentum à beneficio competentiæ ad ceſſionem bonorum negativè valet.*

133. *Argumentum à conventione in ſolidum ad incarcerationem & ceſſionem ductum valet.*

134. *Exemplum in marito 135. in nepotibus mariti. 136. in fidejuſſoribus.*

137. *Depauperati calamitate bellica æquiparantur ijs, qui bonis ceſſerunt.*

138. *Supervacuum eſt, ad id quem cogi, cujus nullus eſt effectus.*

139. *Numerus ſupplet defectum qualitatis.*

140. *Et quæ non proſunt ſingula, cuncta juvant.*

141. *Vox* Vniverſum *in* Novel. *135. quomodo intelligenda, non* rebus *ſed* accidenti *tribuenda 142.*

143. *Propriè accepta quid ſignificet, quid impropriè? 145.*

144. *In toto qualibet pars ineſt.*

146. *Major pars capitur pro toto, Exempla 147.*

148. *Populariter cum populo, cui jus redditur, loquendum.*

149. *Verbum* amittere *quid propriè, quid impropriè ſignificet? 152.*

150. *Amiſſum non intelligitur, quod ablatum non eſt.*

151. *Auferre, eſt de loco ad locum movere.*

153. *Prædia devaſtata poßidens ea amiſiſſe dici poteſt.*

154. *Concluſio quod depauperati bellica calamitate non poßint cogi ad ceßionem.*

155. *Pœna in transgreſſores ſtatuta & 156.*

157. *Cogitationis pœnam nemo patitur.*

158. *Leges tantum externam obedientiam loco-motivæ, non mentis aut voluntatis requirunt.*

159. Cau-

159. *Cautela pro creditoribus.*
160. *Vtrũ vſus ceſsionis adhuc moderno tẽpore?*
161. *Reſponſio affirmat. 162. Ratio.*

QUamvis autem hoc jus favorabile valde, & Novella conſtitutio quoad hoc vtcunque clara ſit, nihilominus tamen non leve dubium eſt, * an ad illos debitores poſſit porrigi, quos in 35. præced. decad. *q. vlt.* dixi non omnia ſua bona per calamitates bellicas amiſiſſe, ſed adhuc aliqua, præſertim immobilia conſervaſſe, qualia ſunt domus ruinoſæ, agri ſteriles & inculti, aliaque ſimilia,

Et videri poſſet, quod hunc ipſum tex. *Novell. 135.* contra eos retorquere, atque ex verbis ejus ſic argumentari * liceret: Imperator vult 36. in eo tantum caſu ceſſare bonorum ceſſionẽ, quando debitor in vniverſum res ſuas amiſit, *per tex. in d. Novel. ibi. vt is qui in vniverſum*, Ergò illi non excuſabuntur â ceſſione, qui adhuc hortos, agros, prata, & immobilia alia poſſident, de his enim non eſt verum dicere, quod in vniverſum omnia amiſerint, Vniverſum * namq; dicitur, quaſi omne ad vnũ ver- 37. ſum, i. e. ſine aliqua exceptione, *per L. quoties in f. ff. fam. hercíſ. L. talis ſcriptura §. fin. ff. d. Legatis 1. Spiegel. in ſuo lex. v. vniverſus.* & qui loquitur de vniverſis, nihil excipit, quid enim potest eſſe extra vniverſa? Terent. *in Phorm:*

38. Sed * Reſpondeo, etiam illos, qui per calamitates belli fortunis ſuis ſpoliati, ſolvendo eſſe deſierunt, à ceſſione immunes & liberos, beneficio Novel. 135. gaudere, etſi fortaſſis adhuc habeant ruinoſas ædes, incultos agros, &c.

39. Ratio * prima eſt: quia illi, qui prorſus nihil habent, non poſſunt bonis cedere, ete-
40. nim bonis cedere * eſt bona ſua ſponte dimittere, & concedere creditoribus, Weſenb. *n. 2. ff. d. ceß. bon. vid. ſup. decad. 1. q. 5. n. 65.* qui autem bona nulla habet, quomodo poteſt ea di-
41. mittere? cum privatio * præſupponat habitum, *argt. L. decem 116. ff. de V. O. argt. L. manumißiones 4. ff. de R. I. L. Titio 96. ff. de condit. &*
42. *demonſt.* & * non poſſit videri deſiiſſe habere, qui non habuit, *argt. L. non poteſt. 208. ff. de R. I.* Ergò neceſſariò ad hoc, vt aliquis excuſetur
43. à ceſſione * bonorum, præſupponendum eſt, quod aliquid bonorum ſuperſit; aliàs enim excuſatione & privilegio omninò non indi-
44. geret, juxta illud: excuſatione * non eget, qui ne ſi vellet, præſtare aliquid poſſet, *argt. §. minores 15. inſt. d. excuſ. tut.*

45. Neque obſtat, quod communiter Dd. * dicunt, etiam eum debitorem, qui nihil omninò in bonis habet, nihilominus cedere poſſe, propter bona futura, quæ ei aliquando obvenire queant, Weſenb. *in parat. ff. d. ceß. bon. n. 3. in f.*

in f. Matth. Stephani, *ad d. Novell. 135. num. 11.* Greg. Tholoſ. *loc. ſupra cit. c. 9. n. 1.* vbi tradit: * ad hoc eis prodeſſe ceſſionem, vt ſi quid 46.
quærant poſtea, â carceribus liberi non conveniantur in ſolidum. *vid. decad. 3. q. 1. num. 96.* adde Matth. Brun. *in tract. de ceß. bonor. q. 4. princ. n. 2.* vbi dicit, id fieri propterea, ne *injuriam* patiantur, & quod ratione ſpei bonis cedere queant, cum bona acquirere poſſint, ad quod adducunt *textum* * *in L. 7. C. qui bonis ce-* 47.
dere poſſunt, vbi de filijsfam: habetur: etſi nihil in ſuo cenſu hi, qui in poteſtate parentum ſunt, habeant, tamen ne patiantur *injuriam*, debet ceſſio admitti, & paulò poſt: cum apertiſſimi Juris ſit, ſi quid poſtea eis pinguius acceſſerit, hoc iterum vſque ad modum debiti, poſſe â creditoribus legitimo modo avelli. Quem tex: ita ſummat Bartol: filiusf. ſive habeat caſtrenſe peculium, ſive non, poteſt cedere bonis, & Paul. de Caſt: filijf. poſſunt cedere bonis, ſive habeant patrimonium proprium, ſive non.

Verùm id omne mihi parùm probabile, & vt liberè cum gloſſa loquar, *ad d. L. 7. v. etſi nihil*, nugatio * videtur, vt videlicet cedat bo- 48.
nis, qui nulla bona habet, neque id ex tex: allegato evincitur, ibi enim * quærebatur: v- 49.
trum filiusf. poſſet bonis cedere, nec ne? Ratio dubitandi erat iſta: quia filiusf: nulla bo-

na habet, ſed eâ non attentâ ſtatuit Imper.
50. ceſſionem bonorum * filijsf. denegandam non eſſe, per rationem: cum & filijf. poſſint habere ſubſtantias, quę patribus acquiri vetitæ ſunt (i.e. peculium adventitium, cuj⁹ vſusfructus patri non quæritur) nec non peculiū vel caſtrenſe (ſubintellige & quaſi-caſtrenſe) vel quod patre volente poſſident (i.e. peculium profectitium) poſtea vlterius producit Imp. deciſionem ſuam, etiam ad illud peculium adventitium, in quo pater vſumfructū habet, dum ait: & ſi nihil in ſuo cenſu hi, qui in poteſtate parentum ſunt, habeant, tamen ne patiantur injuriam, debet bonorum ceſſio admitti.

Quod autem iſta verba de peculio adven-
51. titio intelligi poſſint, ſic probo: quia nihil * in cenſu habere, eſt nihil tale habere, ob quod cenſeri poſſit; vel adhuc aliter: nihil in cenſu habere, eſt nihil in reditu ſive proventu habere, (nam cenſus, vt in literis humanioribus, ita quoq; in jure noſtro, non vnâ in ſignificatione accipitur, Schard. *in ſuo lexic. v. cenſus*, & aliquando præſtationem tributi, annuamvè penſionem, aliquando reditum ſive proven-
52. tum ſignificat; *idem v. cenſum*) atqui is, qui * peculium adventitium habet, nihil in reditu vel proventu, nihil præterea tale habet, ob quod cenſeri poſſet, Ergo &c. Minor inde con-

conſtat: notum ſiquidem eſt, quod in peculio adventitio * reditus ſive vſusfructus ad patrem ſpectet, non ad ipſum filium, *§. igitur 1. inſt. per quas perſonas cuique acquir*: Notum deinde, quod quemadmodum pater vectigalia fundo fructuario debita percipit, *per L. arbores 59. §. 2. ff. de vſufruct. Apoſtilla*: Weſenb. *ad* Schneid. *§. conſtituitur n. 12. lit. a. inſt. de vſufruct.* ita quoq; * præſtatio cenſuum, decimarũ, & tributi pro re fructuariâ debiti, ad ipſum tanquam fructuarium ſpectet, *per L. hactenus, alias partic. §. 2. in L. vſuf. legato 7. C. de vſufruc. L. ſi pendentes 27. §. ſi quid ff. ſi vſusfruct. pet.* per quos tex. Schneid. *§. conſtituitur, n. 12. inſt. de vſuf.* generaliter deducit: quod onera * realia, quæ præſtantur â re, vel occaſione rei, ad fructuarium pertineant; & quod collectas & ſuperindicta h. e. die Schatzungen vñ Stewren/ fructuarius ſolvere cogatur, *per L. quarto 28. ff. de vſu & vſuf. leg.* Quod autem filiusfam. habens peculium adventitium nihilominus cedere, & executio * in bonis filij condemnati, in quibus pater habet vſumfructum, etiam durante patriâ poteſtate fieri poſſit, id tradit Matth. Brun. *in tract. de ceſſ. bon. quæſt. quart. princ. n. 4.* non obſtante, * quod illa bona ſine patris licentia voluntariè alienari nõ poſſint, vt *in L. f. §. filijs autem, C. de bonis quæ liber.* ſecus enim eſſe, ſi ex neceſſaria cauſa fieret alienatio.

53. 54. 55. 56. 57.

Et

58. Et quamvis quoad hoc poſterius aliqui reluctentur,(*vid. Marant. p. 6. de execut. n. 85. & ſeqq. Guid. Pap. decis. 526. n. 1. Capell. Tholoſ. decis. 121. Gomez. var. reſol. l. 2. c. 15. n. 11. cum ſeq.*)
59. tamen ex dictis * meo judicio illud ſaltem deprehenditur, nō neceſſariò ex *d. L. 7.* inferri, illos qui prorſus nihil habent, ad ceſſioné bonorum admitti, ſed illos ſolùm, qui nihil in cenſu habent. Licet autem hæc interpre-
60. tatio ſit nova, * & nuſpiam, quod ſciam, alibi reperta, non tamen proinde aſpernanda; cur enim mihi non liceat, quod alijs Doctoribus & interpretibus licet, præſertim in materia tali, quæ non concernit vllius præjudicium? cum in Jure * non ſimus adſtricti eo modo, (quomodo Theologi ex decreto SS. Concilij Trid.) vt ſcripturam Legumlatorum noſtrorum accipiamus ſemper juxta eum ſenſum, quem tenuit antiquitas, neque neceſſe habeamus juxta vnanimem conſenſum patrum noſtrorum, Bartoli, Baldi, & aliorum leges in-
61. terpretari. Tacebo aliam explicationem * gloſſæ, ſecundum quam filiusf. cedere poteſt bonis, & ſi nihil, i.e. nihil corporale poſſideat, dummodo habeat incorporalia; quæ ſi probanda & recipienda eſt, adhuc ſequetur, eum qui cedere bonis vult, aliquid ſaltem habere debere.

Neq; obſtat ſecundò text. *in L. quæſitum 30.*

in

in princ. ff. de pecul. quem allegat gloſſa *ad L. 7. v. & ſi nihil. C. qui bonis ced.* Matth. Brun, *loc. cit. n. 2.* vbi actio * de peculio procedit & tenet, & 62.
ſi nihil ſit in peculio. Neque tex. *in L. ei quoq; 11. ff. de pecul. Leg.* vbi ei, qui in peculio nihil habet, peculium * legari poteſt, & legatum 63.
propter ſpem quærendi valet, ad illos enim. Reſpondeo, quod à ſeparatis * mala fiat illa- 64.
tio, *argt. L. inter ſtipulantem 83. §. ſacram. v. ſed hæc diſſimilia ſunt ff. d. V. O. L. aſſeveratio 10. circa f. C. de non numera: facit L. Papin. 20. in pr. ff. d. minor.* quam parùm enim ibi commune habet delictum cum venia ætatis, tam parùm commune habet ceſſio bonorum cum peculio; & patet Ratio * diverſitatis exinde: pe- 65.
culij quantitas, ſive quantum in peculio ſit, inſpicitur tempore rei judicatæ, *tex. in d. L. 30. in princ. & ibi Gothof.* quæ cauſa eſt, quod teneat actio, etiamſi nihil ſit in peculio, cum ageretur, modò ſit rei judicatæ tempore. Sic quod ei, qui nihil in peculio habet, poſſit peculium legari, hæc ratio dari poteſt: * quia 66.
non tantum præſens, ſed etiam futurum peculium legari poteſt, *per d. L. ei qui,* & interim donec legati dies cedat, & teſtator, qui peculium legavit, moriatur, (cedit enim legatorũ
* dies à morte teſtatoris, *L. 1. §. in noviſſimo 5. C. d. caduc. toll. L. à Titio 64. ff. d. furt.* Weſenb. 67.
num. 9. ff. d. legatis 1. idem n. 3. ff. quorum legat.)
mul-

multum peculio accedere. Adeoq; in his caſibus reſpicitur tempus non præſens, ſed futu-
68. rum; in ceſſione *autem bonorum præſens
69. tempus attenditur; ideo *enim creditores debitorem ſuum ad cedendum bonis ſuis hic &nunc de facto vrgent, vt eis quatenus facultates ipſius patiuntur, & quoad fieri poteſt, ſatisfaciat, Weſenb. *in parat.n.6.ff.de ceß.bon.* quod non facturi, neque eum ad tantas anguſtias adacturi eſſent, ſi ſpem & fiduciam ſuam
70. in rebus tantum futuris, * (adeoque adhuc incertis, Schneid. §.*curare n.17.inſt.de actio.*) collocarent.

Ex dictis vtcunq; probabile redditur, quod pro ratione deciſionis meæ ſupra adduxi, videlicet eum, qui nihil in bonis habet, bonis cedere non poſſe. Id quod inde confirmatur: quia ſi ille, qui in caſu noſtro bonis cederet,
71. bona futura *dimittere cenſendus eſſet, quomodo verum maneret, quod contrariæ opinionis aſſertores dicunt, eum de novo poſſe acquirere? & in acquiſitis non niſi in id conveniri, in quantum facere licet? Tholoſan. *d.c. 9.n.1.vid.inf.decad.3.q.1.n.96.* Certè beneficiũ competentiæ non datur in iјs bonis, quibus de facto ceſſit; atqui talis aliquis, qui nihil habendo nihilominus ceſſiſſet, ex ſuppoſito bonis futuris ceſſiſſet, Ergo in iјs poſtea beneficium competentiæ non haberet. Neque opus

habent

habent calamitoſi debitores ideo cedere bonis ſuis, vt injuriam carceris ſubterfugiant, & beneficium competentiæ, de quo modò dixi, acquirant, vti auctores ſupra *n. 46. & 47.* citati volunt; quia *jam ante carcerari nequeunt, 72.
vt oſtendi decad. *1. q. 7. n. 84. & ſeqq.* nec vltra, quàm facere poſſunt, conveniri, vt dicam, *decad. 3. q. 2.* & ex hac ipſa Novel. 135. probari poſſet, ſi locus pateretur, fruſtra igitur mediante hoc lamentabili & miſerabili remedio quærerent, quo jam ante pleno jure gaudent, *vid. inf. n. 121.* Sed his diutius non inſiſto, meq; potius ad aliam rationem confero.

Ratio ſecunda: * Imp. vt ex textu apparet, 73.
propterea ſtatuit, vt ij, qui res ſuas amiſerunt, bonis cedere non cogantur, quò magis eâ re omnium optimus DEUS concilietur, neque calamitoſi aliquid noſtris geratur, inque vſu habeatur temporibus; atqui neſcio quid ma- 74.
gis * calamitoſum ſit, quam ſi videamus creditores ijs rebus ſpoliare ſuos debitores, quas ſuperſtites reliquerunt milites, & quibus hoſtis exteriora tantum veſtimenta detraxit, ijs pellem quoq; ſuam detrahere; *vid. inf. q. 9. num. 74. & ſeq.* neſcio inquam, an non magis offendatur DEUS optimus, & ad novam iracundiam provocetur, quam quod cõcilietur.

Ratio tertia: Imp. id ipſum * ſancivit in 75.
favorem debitorum calamitoſorum, vt ſcilicet

licet non denuò per vim ad ignominioſam vitam tranſponantur, & ad quotidiani victûs, nec non amictûs corporis inopiam adigantur; atqui etiam illi, qui prædia quædam inculta poſſident, planè calamitoſi ſunt, & ſi bonis cedere deberent, ad eandē ignominiam
76. deducerentur. Nam * cedenti bonis nihil relinquitur, ne vnus denarius quidem, ſed eſt excutiendus vſq; ad vltimum quadrantem, imò vſque ad peram & ſacculum, vt inquit gloſſa *in L. f. §. f. ff. quæ in fraud. Cred. & in L. fraudem ff. eod.* Schneid. *§. f. n. 16. inſt. de action.* Greg. Tholoſ. *ſyntagm. iur. p. 3. lib. 22. c. 8. n. 3.* Weſenb. *in parat. n. 4. ff. de ceſſ. bon. vid. ſup. n. 15. & inf. q. 6. n. 62. q. 9. num. 61.* & nihil retinet,
77. præter viles * & quotidianas veſtes, ne ſit car-
78. ne nudus. (quia iſtæ * nec damnatis ad mortem adimuntur, *per L. Divus. de bon. damnat.* Greg. Tholoſ. *loc. cit. n. 4. vid. inf. q. 6. n. 65.* & ſi
79. debitor * carcere concluderetur, relinqueretur ei veſtis, *per L. ſi victum ff. d. re jud. id. ibid.*) Ergo eodem favore digni ſunt, qui aliqua ad-
80. huc immobilia poſſident, cum enim in ijs * eadem militet ratio, eadem habere locum debet Juris diſpoſitio, *argt. L. à Titio 108. inf. pr. ff. de V. O.* Imò penitiùs rem inſpiciendo in his ſolis ratio Novellæ valet, ſi quis enim omninò nihil habet, non poteſt nec debet primùm ad eam, de qua dictum eſt, ignominioſam

nioſam vitam redigi,cum jam ante ſit ad eam redactus.

Ratio quarta: quia & ſi illi, qui prædia inculta tenent,ijs cedere cogerentur,creditores tamen non facilè * finem, quem intendunt, 81.
& vix vllum ex ea ceſſione emolumentum conſequerentur, *vid.inf.q.7.n.2. & 3.* Ergo * 82.
audiendi non ſunt, qui nihil aliud faciunt, quam vt noceant alteri contra naturalem æquitatem,ſibi autem non proſunt, *argt.L.in fundo 38.ff.d.rei vend.* & meritò de * duritiâ 83.
redarguendi, qui nihil aliud quærunt agendo, quam vt debitorem aliàs miſerabilem magis affligant, *argt.L.ſervus ea 7.ff.d.ſerv.export.* Antecedens probatur; quia quando ceſſio * bonorum admittitur, creditoribus non 84.
licet ſuâ auctoritate dividere bona, & jure dominij ſtatim detinere, ſed debent venditionis remedio, quatenus ſubſtantia patitur, indemnitati ſuæ conſulere, *L.Legis 4.C.qui bon.ced.* adeoque bona veniunt ſubhaſtanda & vendenda, Matth. Stephani *ad Novell.135.n.16.vid.inf.q.2.n.88.* Menochius *de arbit.jud.quæſt.cent.2.caſ.183.n.19.* Quò * fit, vt ceſſione 85.
factâ creditores petere debeant, ſe mitti in poſſeſſionem bonorum, *juxta tit.de bon.auct.jud.poßid.* Greg.Tholoſ. *c.11.n.3.* & interim datur bonis curator, *L.2.& f.ff.de curat.bon.dand.* qui bona vendit, & creditoribus ſatis-

 facit,

facit, *d. L. f. id. Tholoſ. loc. cit.* pretium ex venditione redactum pro rata crediti inter ipſos partiendo, ſervato diſcrimine inter creditores hypothecarios & chirographarios, Cujac.
86. *in parat. C. qui bon. ced. poſs.* ita * vt jus reale, vel actionem in rem, & hypothecam habentes, præferantur omnibus illis, qui tantum perſonalem actionem habent, *argt. L. eos 9. C. qui pot. in pign.* Schneid. *§. fuerat n. 53. inſt. d. action.*
86. & inter hypothecarios * prioritas temporis attendatur, *per L. ſi fundum 4. C. qui potior in pign. L. 2. C. eod. c. qui prior. 54. d. R. I. in 6. L. potior. 11. ff. qui potior. in pign. & ibi.* Weſenb. *n. 2.* vel vniuſcujuſque prærogativa & privilegiū, Weſenb. *loc. cit. n. 3.* adeoq; in partiendis rebus debitoris jus cuique ſuum ex creditoribus eſt ſervandum, ita vt hypothecarij ſuas hypothecas, & privilegiati ſua privilegia ſalva habeant, text. expreſs: & ibi gl. *in L. f. ff. in rebus. C. qui bonis ced.* Cujac. *loc. cit.* vide quæ notavi inf. *decad. 4. q. 10. ff. & hæc in tantum.*
88. Cum itaque * vxor debitoris, marito ad inopiam vergente dotem ſuam repetere poſſit, *L. ſi conſtante 11. C. ſolut. matrim. quemad. dos pet. L. vbi adhuc C. de jure dot. Gail. 2. obſ. 83. n. 3.* Wurmſer. *pract. obſer. tit. 37. obſ. 1. n. 5.* Mynſ. *decad. 2. reſp. 15. num. 6. & 7.* & cum reliquis creditoribus plerumque concurrere ſoleat,
89. inſuper * non tantum hypothecam taci-
tam

tàm in vniverſis bonis mariti, verùm etiam jus prælationis præ omnibus alijs etiam anterioribus hypothecis habeat, *juxta L. aßiduis C. qui potior. in pign.* ipſa ſuam dotem præciperet, & vix aliquid reliquis creditoribus reſtaret. Quandoquidem enim prædia viliſſimo pretio hoc tempore proſtant, & emptorem vix reperiunt, contingeret ſæpiſſimè, vt ſi vel venderentur, vel in ſolutum concederentur, vix mulieribus de ſua dote, & * liberis primi matrimonij (qui 90.
in locum matris ſuæ intrantes etiam ſecundæ vxori præferuntur, *L. aßiduis 12. §. ad hæc omnia. i. v. exceptis vid. & §. 2. C. qui potior in pign. Novell. 91. in princ. & c. 1.* Schneidew. *§. fuerat num. 73. inſtit. d. act.* Beuth. *d. jur. prælat. c. 25.* §. ferner) vtpotè magis * privilegiatis ſatisfieret, cæteris autem creditoribus 91.
vel nihil omninò, vel modicum ſaltem remaneret. Tacebo, quod cedens * bonis 92.
aliqua retinere poſſit, *vid. inf. q. 6. num. 69. & num. 136. item q. 8. num. 69.* qualia ſunt per teſtatorem alienari prohibita, item vſusfructus, feudum, & emphyteuſis Eccleſiaſtica. Nam licet commoditates creditoribus in eorum ſatisfactionem relinquantur, bona tamen ipſa, non relinquuntur, Matth. Brun. *quæſt. 3. prin. n. 18.* Ergò etiam ex hoc capite ipſis non adeo erit conſultum, quia plurimi ſunt cre-

ditores, qui allodialia non poſſident, ſed tantum bona feudalia vel emphyteutica. Si igi-
93. tur poſt ceſſionem creditores * nihil conſequuntur, ſed exſpectare debent, donec ad pinguiorem fortunam perveniant debitores *L. 4. 6. & 7. ff. d. ceß. bon.* cur non vellent exſpectare antea, *argt. Novel. 4. de fidejuſſ. & mandat. c. 3. verſ. agnoſcant*, ſed potius illos ad tales anguſtias redigere? *vid. inf. q. 9. n. 117.*

Neque obſtat, quod vno alteroque caſu, vt ſic ſuum conſequi poſſent, nec ſemper mulieres vel alij privilegiati concurrant, quia hoc
94. valdè rarum eſt; Rarò * autem accidentia non temerè in negotijs gerendis computantur, *L. ea quæ rarò 64. ff. d. R. I.* & ex his fortè quæ vno caſu accidere poſſunt, jura non conſtituuntur, *L. ex his 4. ff. de LL.* nam quod rarò fit, (ſicut etiam vetus ſapientia docet) non obſervant Legislatores, ſed quod fit plerumque, & reſpiciunt, & medentur, *c. 2. Novell. vt ſine prohibitione 94.* & jura adaptantur ad ea, quæ facilius & frequenter accidunt, *L. nam ad ea ff. d. T.*

Ratio quinta: Doctores dict. Novel. 135. ſic interpretantur, vt habeat locum, ſi debitores adverſis caſibus ad inopiam redacti ſunt, Jul. Pac. *in Iſag. n. 4. d. ceß. bon.* Gothof. *in add. ad* Schneid. *§. f. n. 14. inſt. de action.* atqui non
95. poteſt negari, quin & is ad * inopiam redactus

ctus ſit,qui prædia negleсta & inculta, vixq; panem quotidianum reſiduum habet, & qui ante lapſum aliquot annorum nihil ſibi ex agris ſuis audet promittere. per text: expreſſ: in Nou: *163.de relevat. tribut.pub.ibi: mutua illa & omnimoda horum exitia ad tantam inopiã poſſeſsiones redegiſſe, ut neq; reditus poſſent ſuis producere poſſeſſoribus.*

Videmus ſanè ruſticos plurimos, * qui in- 96.
tegros manſos, integras emphyteuſes, & prædia allodialia plurima, ſed inculta; imò Nobiles non paucos, qui integras villas, & pagos, ſed devaſtatos poſſident, nihilominus neque neceſſariam ſuſtentationem habere, imò ne quidem ſatis honeſtè veſtitos incedere. Neq; adeo mirum; nam ſicuti * de vento vivere 97.
nemo poteſt, *argt. L.f.C.d.alim.pup.praſtand.* vbi Dd. ita neque de prædijs incultis, multò minus de caſtris ruinoſis, ædibus neglectis, vel parietibus depreſſis; vide Vincent. Carecium *de excuſſ.bon. q.35. ſecund. part. n.20. & ſeqq.* Quis igitur non dicat, etiam illos, qui adhuc bona immobilia poſſident, verè miſeros, atq; inopes eſſe, & beneficio Novellæ noſtræ, ne bonis cedere cogantur, gaudere debere.

Confirmatur inde: Imp. in tex. * ideo 98.
non permittit debitorem ad ceſſionem vrgeri, ne denuò per vim ad ignominioſam vitam

 tranſpo-

tranſponatur, i.e. (vt ipſe declarat) ad quotidiani victûs & amictûs corporis inopiam adigatur: Ergo ſupponit, ſatis fuiſſe, quod ita depauperatus antea fuerit, vt neq; victum, neq; amictum ſtatui ſuo convenientem haberet, quod bene potuit contingere, imò de facto plurimis contigit, quibus prædia inculta & devaſtata relinquebantur.

Ratio ſexta: Doctores Novellam noſtram
99. 135. ſic explicant, vt quamvis calamitoſi * debitores non cogantur bonis cedere, nihilominus debeant bonorum venditionem pati, Gothof. *add. Nov. 135. c. 1. lit. m. v. pecunias, vid. inf. q. 9. n. 66.* prædiaque in ſolutum dare, Weſenb. *in parat. n. f. ff. de ceß. bon.* ita vt permittatur pro extremo ſubſidio creditoribus, vt ipſi conquirant ac vindicent bona debitoris, quæcunq; poſſint, Cujac. *ad Novel. noſt. in f.* Matth. Steph. *ad eand. n. 10. vid. inf. q. 9. n. 153.* ergo neceſſariò ſupponunt, Imp. hanc immunitatem â ceſſione bonorum, etiam ijs debitoribus conceſſiſſe, qui adhuc bona habent,
100. nam quod * non eſt, vendi, in ſolutum dari, & conquiri non poteſt, *argt. L. nam etſi 5. ff. de in-*
101. *juſto. argt. eorum quæ notat Gail. 2. obſ. 1. n. 15.* id * enim, ſuper quo agendum, debet prius eſſe in rerum natura, *L. quidam referunt 14. in pr. ff. d. jur. cod. gl. c. f. extra. de reſcript.*

102. Ratio ſeptima: Imp. eos calamitoſos * debito-

bitores, qui à ceſſione bonorum volunt eſſe liberi, & beneficio novo gaudere *in d. Novell. 135.* adſtringit ad hoc, vt jusjurandū præſtent, quod aurum reliquum i. e. pecuniam non habeant, vnde æs alienum diſſolvant. Ergo ſatis indicat, ſe prædia non multum attendere, & in illis dimittendis debitorem gravare nolle, & quamvis addat: *nullam rerum *causâ* 103.
occaſionem, tamen per voculam *rerum* benè poſſumus ſubintelligere creditarum, quemadmodum paulò antè, cum in ead: Novell: Imp: ſtatuiſſet, vt nemini liceat neceſſitatem ceſſionis inferre *rei causâ*, Dd. interpretantur *crediti causâ*, vndè non eſt veriſimile, legislatorem in vna eademq; conſtitutione, ſex aut ſeptem linearum intervallo, vnum idemque vocabulum in diverſo & æquivoco ſenſu vſurpaſſe. Neque in contrarium quicquam facit vox *occaſionem*, quia intelligere eam licet de remedijs pecuniarijs, quæ quis vel à ſuis proximioribus, cognatis, & amicis habere, vel ex hæreditate proximè adeunda ſperare, vel aliunde exſpectare poteſt, quemadmodum in ſeq. quæſt. pluribus declarabo, *& infra ſæpius ſuo loco.*

Neque refragatur ſecundò, quod Imp: in illa ipſa Novella 135. ſtatuerit, talem aliquem calamitoſum debitorem, qui à ceſſione libe-

104. rari cupit, jurare * debere, ſi poſtea res mobiles vel immobiles ex hæreditaria ſucceſſione, vel ex donatione cognatorum acquiſierit, quod velit creditoribus ſatisfacere, vel actiones eis cedere, quemadmodum pluribus dicetur ſeq. quæſt: ſi itaque poſtea acquiſita ad immobilia extendit, cur non etiam ante habita? Ad hoc enim R. licet ex Gregorij Holoandri & Henrici Agylæi interpretatione ad græcum Serimgeri exemplar edita legantur iſta verba, *in reb⁹ mobilibus aut immobilibus &c.* tamen ea ſunt à communi lectione aliena, vel noſtræ intentioni minimè contraria. Eſto enim quod calamitoſus debitor ad ſubterfugiendam ceſſionem jurare debeat, ſe etiam de
105. bonis immobilibus, quæ de novo ſit * acquiſiturus, velit ſatisfacere: non tamen ſequitur, quod cogatur jam ante habitis & acquiſitis
106. per ignominiam cedere, quia facilius * amittitur jus quærendum, quam jus quæſitum, *L. f. C. de acquir: & ret. poſſeſ:* facilius remittuntur ſperata, quam poſſeſſa, *l cum hi 8. in princ.*
107. *ff. de tranſact.* charius * eſt modicũ præſens,
108. quam multa futura, *d. l. 8. vbi gl. & Dd.* non * eſt par & eadem ratio, ſuum amittere, & ſic damnum incurrere, & lucrum non capere.
109. *l. f. § 2. ff. de Codicill:* omne * futurum deſpicitur, ſuadentque magis præſentia fructum, Claud. facit, *d. l. 8. vbi* Bald: quia futurum

* omne

* omne incertum, Schneid. §. *curare n. 17. inſt. d. actio*: 110.

Ratio octava: qui capi * & incarcerari 111.
non poteſt, is neque ad ceſſionem bonorum
cogi poteſt, *vid. ſup. decad. 1. q. 4. n. 21. q. 7. n. 93.*
atqui moderni calamitoſi debitores infortu-
nio belli depauperati incarcerari non poſ-
ſunt: Ergo neque ad ceſſionem cogi. minor
patet *ex decad. 1. q. 5. concluſ. 2. & q. 7. n. 84. cum
ſeqq.* Major probatur primò ab inductione,
& ab exemplis per Matth. Brun. *in tract. de ceſſ.
bon.* hinc inde relatis. Doctores * capi & in- 112.
carcerari non poſſunt, Ergo non cedunt bo-
nis, Brun. *quæſt. 10. quart. quæſt. princip. n. 7.* Ex
quo milites pro civili debito capi & incarce-
rari non poſſunt, non coguntur cedere bonis,
id Brun. *quæſt. 11. quart. quæſt. princ. num. 1.* Ma-
ritus ob dotem non reſtitutam carcerari non
poteſt, & ex conſequenti nec cedere bonis,
Brun. *quæſt. 20. quart. quæſt. principa. n. 1.* Vnde
conſtat validum eſſe * argumentum, ab in- 113.
carceratione ad ceſſionem negativè deductũ,
videlicet: carcerari non poteſt, Ergo nec ad
ceſſionem vrgeri (dummodò qualitas perſo-
næ vel rei non aliud ſuadeat) quemadmodũ
etiam affirmativè in hunc modum conce-
ptum: carcerari * poteſt, ergo ne in carceres 114.
detrudatur, ad ceſſionem bonorum admitte-
tur, *vid. ſup. decad. 1. q. 7. n. 96.* Sic idem Brun.

d.q.20.n.1. de marito tradit, quod in multis caſibus in ſolidum teneatur, ne igitur ad carceres detrudatur, ad bonorum ceſſionem admittitur. In ſpecie autem exemplificat *num.8.* in eo, qui convenitur ex contractu poſt diſſolutum matrimonium celebrato, quo in caſu pro evitandis carceribus ad beneficium ceſſionis bonorum admittetur, *id. ibid. num. 9.* deindè ſi maritus in ſolidum condemnatus non appellavit, beneficio ceſſionis bonorum gaudebit, vt carceres effugere valeat. id: Brun.
115. *d.q.20.n.26.27.& 28.* Sed hoc * argumentum affirmativè conceptum non procedit, ſi is, de quo quæritur, ſit indignus beneficio ceſſionis, vel ex numero illorum, de quibus infra *quæſt.8.per tot.* Oſtendi etiam ſupra *decad.1.q.7.n.90.cum.ſeqq.* quomodo argumentũ à ceſſione bonorum ad incarcerationem affirmativè, & negativè ducatur, ad quæ, ne actum agere videar, me brevitatis cauſa refero.
116. Ratio autem * & cauſa, quare is qui carcerari non poteſt, nec ad ceſſionem quidem bonorum cogi poſſit, eſt hæc: quia ceſſio eſt in eum finem beneficij loco introducta, vt quis ſqualorem carceris evitet, *vid.ſup.decad.1.q.4.*
117. *n.21.* ceſſante igitur * cauſâ beneficij ipſum beneficium ceſſare neceſſe eſt, *argt. c. cum ceſſante.extra.de appell.argt.l.in omnibus 68.ff.de* R. I. Deinde ceſſio eſt modus effugiendi carceres, & me-

& medium ſatis acerbum illud malum car-
ceris declinandi; cur igitur * moderni cala- 118.
mitoſi debitores, tam miſerabile & lamenta-
bile remedium amplecti vellent, vel debe-
rent, ſi nullum periculum carceris timendum
eſſet? fruſtra profectò aliquis amaram po-
tionem contra peſtem acciperet, ſi periculum
peſtis non ſubeſſet: vbi * finis non ſperatur, 119.
fruſtra media aſſumuntur; fruſtra * à debi- 120.
toribus modernis exſpectatur, cujus eventus
nihil operatur, *argt. L. cum hæres. 52. §.1.ff.de
acquir: hæred:*

Si dicas ceſſionem hunc habituram effe-
ctum, vt in poſtea quæſitis non convenian-
tur, niſi in quantum facere poſſunt. Reſpon-
deo, * hoc beneficium infortunio belli de- 121.
pauperatos & ſpoliatos jam ante habere, vt
dixi ſup. *n.72.* & mox dicam; fruſtra ergo me-
diante ceſſionis beneficio quærere; habito
enim * effectu media omnia ſunt ſuperflua, 122.
argt. §. f. inſt. d. perpet. & temp. action: Baldus *in
l. 3. C. de inſtit.* confer ea, quæ ſcripſi ſupra, *de-
cad. 1. q. 7. n. 101. & 102.*

Ratio nona: qui habent * privilegium, vt 123.
conveniri non poſſint in ſolidum, ſed in id
tantum, in quantum facere poſſunt, illi non
cogũtur bonis cedere; *vid. inf. decad. 2. q. 8. n. 82.
decad. 1. q. 7. n. 82.* atqui * ſpoliat⁹ bonis propter 124.
guerram, & belli calamitate depauperatus,
habet

habet hoc beneficium, vt in ſolidum non condemnetur, ſed privilegio gaudet, vt non conveniatur, niſi in quantum facere poteſt, Ergo depauperatus bello bonis cedere non cogitur. minorem vnà cum illatione tenet in
125. terminis * Matth. Brun. *de ceſſ. bon. quæſt. 14. quartæ quæſtio: princip.* & ego illam probabo decad: 3. peculiari quæſtione. Major traditur apud Matthæum Brunum *q. 33. quart. quæſt.*
126. *princip. n. 3.* his verbis: * adverte tamen, quod hoc beneficium, ne quis teneatur vltra, quam facere poteſt, operatur, ne habeat debitor neceſſe cedere bonis, nam cum non teneatur in plus, quam facere poſſit, habitâ ratione ne egeat, pro tali debito carcerari non poteſt, & conſequenter non cedit bonis. Deinde id
127. ipſum probatur per inductionem, & * ab exemplis; primò, Doctores privilegium habent, quod conveniri non poſſint, niſi in quantum facere poſſunt, deducto ne egeant, igitur non cedunt bonis, Matth. Brun. *quæſt. 10. quartæ quæſt. princip. n. 3. & n. 7.* vbi *n. 9.* cautelam hanc præſcribit, dicendo: cauti igitur eſſe debent, quando actione perſonali conveniuntur, vt non cedant bonis, ſed opponant, & in judicio privilegium prædictũ allegent. *vid. ſup. decad. 1. q. 7. n. 36. q. 8. n. 28. decad. 3. q. 1. n.*
128. *77.* Secundò * clericus debitor ad cedendum non arctatur, quia in id tantum, quod facere

poteſt,

poteſt, & non vltra convenitur, habitâ ſcilicet ratione ne egeat, *vid. decad.3. q.1.num.79.* Matth.Brun.*q.8.quart.quæſt.princ.n.7.* vbi infert: propterea quando ipſe pro civili debito & actione perſonali convenitur, non dicat, cedo bonis, quia tunc per creditorem dimiſſis ei ſolum veſtimentis ſpoliari poſſet, ſed excipiendo dicat: ego ſum privilegiatus, quod non poſſum, niſi relictis mihi alimentis conveniri, add: Greg.Tholoſ.*p.3.l.22.c.9.n.5.*

Tertiò milites * non coguntur cedere bonis, cum privilegio gaudeant, vt conveniri nõ poſſint, niſi ad id, quod facere poſſunt, deducto ne egeant, *vid.decad.31.q.1.n.71.*Brun.*quæſt.11.quart.quæſt.princ.n.1. circa f.* Greg.Tholoſ. *loc.cit.n.6.poſt Panormit: in c.Odoardus n.8.* 129.

Quartò * maritus conveniri aut excuti non poteſt, niſi quatenus facere poteſt, & ſic nec cedere bonis debet, Brun. *q.20.quart. quæſt.princ.n.1.* 130.

Quintò * donator factus inops ante tempꝰ traditionis rei donatæ privilegium habet, vt non exigatur, niſi quatenus facere poteſt, deducto ære alieno, & ne egeat, Ergo non opus habet, vt beneficium ceſſionis amplectatur. Atque ex his paucis exemplis ſatis clarè apparet, validum eſſe * argumentum à beneficio competentiæ ad ceſſionem bonorum negativè conceptum, videlicet: habet privilegium, 131. 132.

legium,vt non teneatur niſi in quantum facere poteſt,ergo cedere non cogitur. Plura apud eundem Brun. *in d. tract. de ceſſ. bon.* require, vbi plerumq; quæſtiones ſuas alternativè concipit,vtrum hic vel ille cogatur bonis cedere, an verò habeat privilegium competentiæ,vt non conveniatur, niſi in id, quod poteſt, *q.20. q.21.q.22. q.24. q.23. q. 25.* confer notata ſup. *decad.1.q.7.n.85.cum ſeqq. vbi ſimile videbis argumentum à beneficio competentiæ ad incarcerationem ductum.* Non infrequens
133. eſt etiam apud eundem Brunum* argumentum à contrario in hanc formam conceptũ: Poteſt conveniri in ſolidum, Ergo ne incarceretur, bonis cedere cogitur. Sic in multis
134. caſibus reperitur, quod * maritus in ſolidum teneatur, ne igitur in carceres detrudatur, ad bonorum ceſſionem admittetur, Brun. *q.20. quart. quæſt. princ. n.1.* vbi tota illa quæſt: caſus ſpecificos recenſet; præſertim *num. 26.* vbi ait: ſi maritus beneficium competentiæ non oppoſuit, & judex eum in ſolidum condemnavit, à qua ſententia maritus non appellavit, non poterit poſtea in executione de hujuſmodi beneficio excipere; & *n.28.* ſi ergo in ſolidum hoc caſu convenitur, beneficio ceſſionis bonorum gaudebit, vt carceres effugere valeat. Item ſi poſt ſententiam maritus pauper & inops effectus eſſet, in ſolidum tenebi-

nebitur, & non gaudet beneficio competentiæ, cedere tamen bonis poterit. Item ſi maritus vel ejus liberi artifices ſunt, & artem aliquam exercent, quâ mediante victum ſibi quærere poſſunt, in ſolidum damnantur, Ergo ceſſionis bonorum beneficio gaudebunt. *id. ibid. n. 25.* Item quia *privilegium filijs 135.
conceſſum, ad nepotes in præjudicium tertij non extenditur, ideo nepotes hæredes mariti non habent privilegiũ competentiæ, quemadmodum filij, ſed ad integram dotem tenentur, & ſi non habent, vnde ſolvant, ad bonorum ceſſionem admittuntur, Brun. *q. 26. quart. quæſt. princ. n. 8.* Sic *fidejuſſor quia ſui 136.
principalis privilegio (vtpote perſonali) non gaudet, in ſolidum tenetur, ideo volens ſe à carceribus liberare, bonis cedere cogitur. id. Brun. *q. 25. num. 1.* Et hic argumentandi modus adeò eſt frequens apud eundem Brun. vt quæſtiones ſuas ſæpius ita formet: vtrum hic vel ille in ſolidum teneatur, ita quod ſi ſolvere non poſſit, ad ceſſionis beneficium admittatur, vt videre eſt in *q. 27. q. 25. q. 21. q. 22.* & paſſim, *confer. ſup. decad. 1. q. 7. num. 88. cum ſeqq.* hinc deſcendit

Ratio decima & vltima: ij *qui bellorum, 137.
incendij, naufragij calamitate, vel id genus ſimili, bonis ſuis exuti ſunt, ſimiles habentur ijs, qui bonis ſuis jam ceſſerunt, vt infra tradam

dam ex Mynſ. §. *f.n.5.inſt.d.action : vid.ſup. decad.1.q.7.n.108.& decad.3. q.2.n.f.* ergò fruſtra
138. ad hoc adiguntur, vt denuò cedant: nam * ſupervacuum eſt ad id quem cogi, cujus nullus eſt effectus. *l.non diſtinguemus 32. §.ſumma 3.ff.de recept.* Weſenb.*n.5.ibid.in f.*

Atque hæ ſunt rationes, quæ me movent, ad aſſerendum, debitores modernos, etiamſi adhuc aliquid habeant, ad ceſſionem bonorum cogi non poſſe, quarum vna & altera (ingenuè fateor) non adeo quidem eſt firma, ſed cæteris juncta robur & firmitatem haud du-
139. biè acquirit; numerus * enim ſupplet defectum qualitatis. *argt.L.4.vbi gloſſ.§.ejuſdem,v. numerus ff.d.teſtibus.* Mynſ.*cent.2. obſer.100.n.1.*
140. *& 3.* Et quæ * non proſunt ſingula, cuncta juvant *argt. L.ſancimus 27. vbi Dd. C. de teſtam.* Mynſ.*cent.2.obſer.20.id.cent.5.ob.33.*

Tempus eſt, vt ſolvam argumentū *ex textu Nov:135.v.in vniverſum* contra præfatam aſſertionem allatum, ad quod puto reſponderi poſſe duobus modis: Primò, vocabulum il-
141. lud * *vniverſum* non referri ad res, vt ſenſus ſit, aliquem in vniverſum res ſuas debere amiſiſſe, ſed potius ad verba *ex accidenti,* hoc ſenſu: vt qui res ſuas aliquo infortunio, non tantum belli, incendij &c. ſed *in vniverſum.* i.e. ex quolibet accidenti, dummodo non ſupinâ ſuâ negligentiâ amiſerit, *vid.inf. decad. 3. q. 2. n.65.*

n.65. Ratio hujus meæ interpretationis dari poteſt duplex; prima deſumpta ex ordine literæ, Imp: enim non dixit, injuſtum eſſe, vt ad ignominioſam vitam tranſponatur, qui *ex accidēti in vniverſum* res ſuas amiſiſſe traditus eſſet; ſed hoc modo: vt is *qui in vniverſum ex accidenti*, non ſupinâ negligentia res ſuas amiſiſſe traditus eſſet, &c. vbi videmus * *τὸ in vniverſum*, non rebus, ſed accidenti tribui, Ergo abſurdum eſſet, non vicino ſtatim vocabulo, ſed remotiori, & longo intervallo ſejuncto conjungi. Secunda ratio interpretationis deſumitur ex conſtructione, quia ſi Impe. *τὸ vniverſum*, ad res voluiſſet referre, æquè facilè dixiſſet, vniverſas res ſuas amiſiſſe, quam in vniverſum res amiſiſſe. Imò poſito quod etjam ad res, ſive amiſſionem rerum referendum eſſet, nihilominus tamen parùm contra meam aſſertionem faceret, nàm Reſpondere poſſum ſecundò: vocabulum * *vniverſum* dupliciter accipi poſſe, propriè & impropriè. Propriè acceptum omnia omninò includit, & totum ſignificat, Spiegel. *in Lexic. v. vniverſus.* in toto * autem quælibet pars ineſt, *argt. L. quæ de tota 76. ff. de rei vend.* Beuth. *de jure prælat. p. 2. c. 15.* Impropriè * autem verificari poteſt de magna parte, vt cum dicimus: bellum Suecicum eſſe ruinam vniverſalem totius Germaniæ; verum hoc eſt, & ſi vna altera-

142.
143.
144.
145.

raque regio, vel unus alterque Germanorum ruinam iſtam non ſenſerit. Non enim infre-
146. quens eſt in jure, vt magna * vel major pars, accipiatur pro toto vel vniverſo, *gloſſ. in L. nomen 34. §. filio v. omnis ſubſtantia ff. de legat. 3.*
147. vt cum â tutela * quis excuſatur, ſi litem habeat cum pupillo, vel de omnibus bonis, aut magna parte eorum, *L. propter litem 21. in prin. ff. de excuſ. §. item propter litem 4. inſt. eod.* & ſive quis ære alieno gravatus omnia bona, ſive majorem partem alienet, præſumitur in fraudem creditorum feciſſe, *L. omnes 17. §. Lucius 1. ff. quæ in fraud. gl. L. ante cit.*

Poſſumus itaque dicere, quod Imp: *in d. Novell. 135.* fuerit impropriè & populariter
148. locutus, quia * populariter cum populo, cui jus redditur, ſubinde agendum, & loquendũ eſt, Weſenb. *num. 6. ff. quod met. cauſ. id. num. 3. C. eod.*

Id quod clariùs adhuc cognoſci poteſt, ex
149. verbo * *amiſiſſe*, vel enim propriè accipitur, vel impropriè. Si propriè: manifeſtè ſequitur, quod Imp: tantum de mobilibus loqua-
150. tur, quia amiſſum * non intelligitur, quod ablatum alteri non eſt, ait Papin: *in L. nec v-*
151. *tilem ff. ex quibus cauſ. maj.* auferri * autem non poteſt, quod moveri non poteſt de loco ad locum, Schneid. *§. poſſidere n. 184. inſt. de in-*
152. *terdict.* Si accipitur amiſſum * impropriè: tunc

tunc appellatione illius, veniet corruptum, ſciſſum & fractum, *L. prætor §. loquitur & §. amiſſæ ff. vi bon. rapt.* Spiegel. *lo. c.* conſequenter etiam illi,* qui agros incultos, prata cor- 153.
rupta, ædeſque ruinoſas poſſident, ea omnia & in vniverſum res ſuas amiſiſſe, veriſſimè dici poſſunt.

Manet itaque vera * Concluſio: quod illi, 154.
qui bellica calamitate fuerunt depauperati, cum ignominia bonis cedere non cogantur, quam Concluſionem

Amplia primò: in tantum verùm eſſe, vt decem * librarum auri mulcta ei (judici vel 155.
creditori) irroganda ſit, qui tranſgredi auſus fuerit ex ijs aliquid, quæ de his ab Imp: ſancita ſunt, & tam piè ipſi placuerunt, *d. Novell. 135. §. diligens f. Hotom. q. 26. circa f.*

Amplia ſecundò: vt etiam * periculum 156.
vitæ immineat ijs, qui tranſilire tentaverint ea, quæ juſtè ab Imp: per hanc ſacram exprimuntur legem. *ibid.* Hotom: *loc. cit.*

Amplia tertiò: vt abſque periculo vitæ, non ſit futurus, qui vel ſolâ cogitatione tenus ea tranſgreſſus fuerit *ibid.* Quæ eſt graviſſima, & in jure vix audita pœna, cum reg: cogitationis * pœnam nemo patiatur, *L. cogi-* 157.
tationis 18. ff. de pœnis c. cogitationis 14. de pœnis c. cogitatio 20. diſt. 1 & leges * externam tantum 158.
obedientiam locomotivæ, non mentis, vo-

luntatis aut cordis ἐνταξίαν requirant, Weſenb. *n.4.§. tertius ordo ff.d.I.& I.* hic autem creditores propter ſolam ἐνθύμησιν, & peccandi cogitationem capitis periculum ſubeunt, Hotom. *loc.cit.f.177.inf.q.26.*

159. Cauti igitur * ſint creditores, ne dum debitores cum magno eorum incommodo, inſequuntur, ſe ipſos lædant, & dum alijs faceſſunt negotium, ſibi ipſis creent periculum, Gail. *1.obſer.70.n.20.*

Supereſt, vt priuſquam ad vlteriora progrediar, dubium illud ſolvam, quod Ampliſſimus Vniverſitatis noſtræ Procancellarius, Admodum Reverendus Nobilis & Magnificus Dominus: Joan. Oſwaldus à Zimmeren SS.Theol. Doct. & Profeſſ. in publica diſputatione, die 8. Aprilis Anno 1639. habita, cum hanc ipſam quæſtionem proponerem, Domino meo defendenti movit; vid: Inutile videri beneficium * ceſſionis, quandoquidem neque malitioſis debitoribus conceditur, *per notata infra q.8.* neque calamitoſis obtruditur, *per Nov:135.* ad quod ℞. Matthias Stephani *ad.d.Nov:n.8.* Imp. Juſtin. jus cedendi bonis valde imminuiſſe, imò fere in totum per dictam Nov. ſuſtuliſſe, quâ conſtituit, vt debitor, qui non ſuâ culpâ, ſed fortunæ novercantis vitio decoxerit, liberetur ab

160.

omni-

omnibus moleſtijs carceris & cruciatibus corporis, etiam abſque ceſſionis auxilio. Ego
* puto adhuc aliter Reſponderi poſſe, vid: ca- 161.
lamitoſum debitorem ad ceſſionem nõ quidem cogi, voluntariè tamen ad eam admitti, per tradita infra *q.6.* per tot: Deinde poſito, quod nec calamitoſus nec malitioſus debitor cederet, datur tamen tertius aliquis, videl: culpoſus, & aliquâ ſuâ negligentiâ, incuriâ & culpa (dummodo non latâ vel ſupinâ, *vid. inf. q.3. n.15. & 20. q. 8. n.37.*) ad inopiam redactus, qui & ipſe minimè prohibendus, ſed ad ceſſionis aſylum admittendus eſt, *vid. ſup. decad. 1. q.5. n.113.* Ratio * deſumi poteſt ex orat. Cic. 162.
pro Rabir. quia ſatis eſt homines imprudentiâ lapſos non erigere: urgere verò jacentes, aut præcipitantes impellere, certè eſt inhumanum, Greg. Tholoſ. *c.14. p.3. Syntag. n.2.*

QVÆSTIO II.

Quid requiratur ad hoc, vt debitores beneficio Novellæ 135. gaudeant, & à ceſſione bonorum liberi ſint, & immunes?

SVMMARIA.

1. *Requiſita ad hoc, vt debitores calamitoſi ſint à ceſſione bonorum liberi*

2. *Requiſitum primum, vt jurent ſe nihil habere, vnde ſolvant, ſive vt ejurent bonam copiam.*

3. *Iuramentum hoc vnde deſcendat?*

4. *Ratio hujus juramenti, ne quis bona occultet. 6.*

5. *Dolis & fraudibus eſt omnibus modis occurrendum.*

7. *Solent divitiæ occultari, ne pateant invidiæ.*

8. *Superfluo juramento nemo eſt onerandus. 33.*

9. *Qui relevatur in vno, non eſt mirum ſi gravetur in alio.*

10. *Pauper eſt, qui nec bona habet, nec artem, nec divites conſanguineos.*

11. *Non negligentibus, ſed impotentibus ſuccurritur.*

12. *Ingrati ſunt debitores, ſi ſolutionem, quam maturare poſſent, retardent.*

13. *Nemo divini timoris adeo immemor præſumitur, vt contemnat jusj: vel falsò juret.*

14. *Caſus in quo debitor ad prædictum juramentum non admittitur.*

15. *Paria ſunt habere, & de proximo habere poſſe.*

16. *Requiſitum ſecundum, vt præſtet cautionē juratoriam de ſolvendo; ſi ad pinguiorem pervenerit fortunam.*

17. *Paupertas non eſt habitus permanens.*

18. *Quilibet præſumitur lucrari, & ditior fieri poſſe.*

19. *Res futuræ in ſtipulationem, & ſub juramentum cadere poſſunt.*
20. *Futurum omne incertum.*
21. *Facilius remittuntur ſperata, quam poſſeſſa.*
22. *Cautionem præſtare tenetur, de cujus fide dubitatur.*
23. *Exemplum in eo, cui data eſt dilatio quinquennalis.*
24. *Exemplum aliud in eo, qui bonis cedit.*
25. *Exemplum tertium in condemnato cui terminus ſolvendi judicatum conceditur.*
26. *Cur juratoria tantum requiratur cautio? 28.*
27. *Qui fecit, quod potuit, legem adimplevit. 54.*
29. *Fidejuſſoria cautio requiritur, quando fidejuſſores inveniri poſſunt.*
30. *Qui adhuc aliqua habet, juratoriam cautionem cum hypotheca bonorum ſuorum præſtare compellitur.*
31. *Cur juramentum extendatur tantum ad mobilia. 32.*
34. *Executio fieri nequit in bonis mulierum ſuper debito mariti.*
35. *Res aliena obligari non poteſt.*
36. *Maritus rerum dotalium quo ſenſu ſit Dominus?*
37. *Dos proprium patrimonium vxoris eſt.*

38. *Maritus rerum paraphernalium legitimus adminiſtrator.*

39. *Rei ſuæ nemo procurator eſt.*

40. *Maritus rerum receptitiarum ne quidem adminiſtrator vel procurator eſt abſq; mandato, vel cautione de rato.*

41. *Mulier in dote præfertur omnibus anteriorem hypothecam habentibus.*

42. *Dotis cauſa ſemper & vbiq; præcipua.*

43. *Fruſtra expectatur, cujus eventus nihil operatur.*

44. *Requiſitum tertium, vt debitor cedat creditori actiones, quas contra ſuos debitores habet.*

45. *Obſcuritas Novellæ 135. vnde?*

46. *Interpretatio Cujacij. 47. Matthiæ Stephani. 48. Henrici Agylæi. 49. Franc. Hotomanni. 50. Philippi Zoreri.*

51. *Debitor calamitoſus cedendo actiones ſe à moleſtia creditorum & ceſſione bonorum liberare poteſt. Ratio 54.*

52. *Creditores debitorem calamitate belli depauperatum ad cedendas actiones cogere poſſunt. 56. Ratio n. 57. & 61.*

53. *Creditores etiam ſine ceſſione actionum debitores debitoris exigere poſſunt, & quomodo. 62.*

55. *Offerens nomina in ſolutum evitat incarcerationem, & bonorum ceſſionem.*

58. Ceſ-

58. *Ceſſio actionum fieri poteſt abſq; conſenſu debitoris.*

59. *Inſtrumenti traditio, in quo continentur nomina, operatur ceſſionem nominum & actionum.*

60. *Ceſſas actiones ad concurrentem tantum quantitatem exercere licet.*

63. *Paria ſunt mandare, & mandare debere.*

64. *Creditor contra debitores ſui calamitoſi debitoris vtilem actionem habet abſque ceſſione.*

65. *Vtilis actio ſine ceſſione reg. non competit, niſi in caſibus ſpecialiter exceptis.* 66.

67. *Rei vindicatio datur tantum Domino.*

68. *Actio realis æquè cedi poteſt, atq; perſonalis.*

69. *Ceſſio rei vindicationis videtur operari ceſſionem dominij.*

70. *Lex plus poteſt, quam nos poſſimus, & magis eſt domina rerum noſtrarum, quam nos ſimus.*

71. *Lex dominium rei noſtræ alteri abſque facto noſtro adijcere poteſt, exemplum in vſucapione.*

72. *Quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium tranſire non poteſt.*

73. *Magiſtratus debitorem debitoris poteſt ad hoc cogere, vt creditori ejus ſatisfaciat.*

74. *Debitor debitoris ſecurè pecunias in manibus juſtitiæ deponit.*

75. *Varij modi procedendi contra debitores debitoris remiſſivè.*

76. *Ordo executionis à D. Pio præſcriptus, à quo non multum receditur in noſtro propoſito.* 77.

78. *In certis quibuſdam caſibus receditur ab ordine D. Pij.*

79. *Calamitoſi noſtri debitores non ſunt ad rigorem D. Pij adſtringendi.*

80. *Creditori invito nemo poteſt debitorem ſuū delegare: niſi tota ſubſtantia debitoris in nominibus poſita ſit.* n. 81.

82. *Ceſſio actionum non in tantum facienda, vt ipſemet debitor ſuâ ſuſtentatione privetur.*

83. *Debitor volens vti beneficio Nov: 135. debet judicare bona, quæ habet.*

84. *In executionibus debitor bona ſua mobilia oſtendere debet.*

85. *Cui plura committuntur, ab eo plura exiguntur.*

86. *Difficultas conditionum ab Imp. Iuſtin: debitoribus præſcriptarum an beneficium Nov: 135. æquè durum reddant, atque remedium ceſſionis?*

87. *Ceſſionis beneficium trahit ſecum ignominiam, remedium Nov: 135. non item.*

88. *Ceſſio in ſe ſpectata non eſt ignominioſa,* ſed

ſed propter bonorum publicationem ei connexam.

89. *Debitor calamitoſus non debet omnem pecuniam dimittere.*

90. *Novella 135. tacitè inducit beneficium competentiæ.*

AD hoc, vt debitores calamitoſi à ceſſione bonorum ſint liberi, & immunes, requiruntur * aliquot conditiones. 1.

Prima eſt: * vt jusjurandum præſtent per adoranda eloquia, quod nullam rerum cauſa occaſionem, aut aurum reliquum habeant, vnde æris alieni ſupplementum faciant, *text. in d. Nov. 135. v. jusjurandum, &c.* id eſt, vt coram ſacris Biblijs (vel ad ſacra Evangelia) jurent, nihil ſibi eſſe reliquum pecuniæ, occaſioniſve, vnde æris alieni ſolutionem expleant, Henric. Agylæus *ad d. Nov. 135.* Itaque non aliter liberantur ceſſionis neceſſitate, niſi jurent, ſe pares non eſſe ſolvẽdo, id eſt, ſi * ejurent bonam copiam, Cujac. *ad d. Nov. 135.* & ibi Matthias Stephani *n. 9.* Franciſ. Hotoman. *quæſt: illuſt: q. 26. verſ. bonam autem copiam.* idque congruere dicit Cujacius antiquo juri. Licet enim ex L. 12. tab: olim debitores creditoribus nećterentur, & addicerentur; id tamen ſicut jam antiquâ lege (relata 2. 3.

lata à M. Varrone) ſublatum, & illi liberati fuerunt, qui bonam copiam ejuraſſent, ne eſſent nexi; ita quoq; juxta diſpoſitionem hujus Novellæ, qui ejurant bonam copiam, id eſt, ſe non eſſe ſolvendo, liberantur carcere, cruciatuque corporis omni, imò & ceſſionis
4. ignominiâ. Ratio * autem, quare juramentum præſtare cogantur debitores, eſt hæc;
5. quia * dolis & fraudibus eſt modis omnibus occurrendum, *L. 1. ff. de dolo. c. ſedes. 15. extra de reſcriptis*, viaque malitijs præcludenda, *c. vt circa 4. de Electio: in 6. l. in fundo 38. §. conſtituimus ff. de rei vind. §. ſed et ſi. 8. inſtit. de oblig. quæ ex delict*: Gail. *1. obſer. 70. n. 20.* Weſenb. *num. 4.*
6. *ff. de ſerv: export*: Poſſent enim * fallaces debitores, de beneficio hujus Novel: edocti, malitiosè bona ſua occultare, & ſimulare, ſe nihil ampliùs habere, propterea tantum, vt creditoribus ad nihil tenerentur, quod in ſe iniquiſſimum eſt, & ſimul etiam facillimum:
7. * ſolent enim divitiæ occultari (etiam ab ijs, qui ære alieno non gravantur) ne pateant invidiæ, *L. 2. §. quid n. C. quando & quib. quarta pars*, quantò magis igitur occultabuntur ab improbis, & obæratis debitoribus, ne ſubjaceant creditorum exactioni? Itaque ad eruendam veritatem, voluit religioſus Imperator debitorum conſcientiam onerare, & jurisjurandi religione gravare, quod detrectare non pote-

poterunt; neq; enim * ſuperfluum eſt, vt ju- 8.
ſtè recuſari queat. per tradita Weſenb. *n.5.ff. de jurejur. id: n.3. de teſtib.* Et ſi maximè onero-
ſum eſſet, tamen qui * relevantur in vno, 9.
quod nimirum cedere bonis non cogantur, mirum non eſt, ſi graventur in alio, *argt. L. eum qui, 30. in pr. ff. de jureju.* Poſſent itidem malevoli debitores habere vel amicos, qui pecunias ſubminiſtrent, per notata Gregor. Tholoſ. *l. 22. c. 15. n. 6.* & Eberhardi Spekani *cent. 1. q. 38.* (vbi poſt Maſcardum, *conclu. 114. n. 35. & ſeqq.* dicit * pauperem illum perhibe- 10.
ri, qui non habet nec bona, nec artem, nec divites conſanguineos, & propinquos, vnde ſe alere, quiq; ipſi ſumptus ſubminiſtrare & ſuggerere poſſunt) vel occaſionem aliam eas acquirendi, & inde creditoribus ſatisfaciendi, quam ſi negligunt, beneficio legis prorſus in-
digni (non enim * negligentibus, ſed impo- 11.
tentibus ſuccurritur *L. non enim 16. ff. ex quib. cauſ. major,* vbi Weſenb. *in parat. n. 7.*) inſu-
per injurij ſunt, & * ingrati ſuis creditoribus, 12.
qui tam benignè & liberaliter in ſummis ſæpe neceſſitatibus ſuccurrerunt, quibus nunc beneficij loco hoc rependunt, vt ſolutionem, quam maturare poſſent, retardent, & pecunijs, quibus ipſi quoque ſummopere indigerent, defraudent; quod tolerandum non erat, ſed omninò præcavendum, ideo voluit bo-
nus

nus Imperator improborum proterviam hac ratione coercere, & jurisjurandi religione ar-
13. ctare *neminem futurum ratus divini timoris adeo immemorẽ, vt contemnat jusjurandum, & ſaluti propriæ vllum commodũ anteponat, *argt. l. 6. C. ad l. Iul. repetund*: Ex quo ego
14. Inferendum puto: * ſi debitor conventus cauſetur impotentiam, & inopiam, adductis in eam rem aliquibus præſumptionibus, & creditor oſtendere velit, quod vel pecunias
15. habeat, vel de proximo habere poſſit (quod * idem eſt *argt. l. penult. de milit. teſtamento, vbi Baldus*) vel alias ſolutionis occaſiones, & media præſcribat, audiendum, neque debitorem ad jusjur: admittendum, ſed ei (cum cauſæ tamen cognitione) ſolutionẽ injungendam eſſe. *vid. inf. q. 3. n. 9.*

16. Altera * conditio eſt, vt juret debitor ſi in futurum pecunias aliquas, vel res alias mobiles acquiſierit, forte ex hæreditate, vel donatione cognatorum, vel aliunde, quod exinde creditoribus ſatisfacere velit (in quantum nimirum facere poteſt, vt infra declarabo, *vid. limitat: inf. decad. 3. q. 8. n. 36.*) adeoq; in effectu præſtare debet cautionem de ſolvendo, ſi ad pinguiorem fortunam pervenerit. *vid. ſup. decad. 1. q. 7. n. 21.* Ratio hujus conditionis eſt
17. hæc: quia paupertas * non eſt habitus permanens, Bald, *in L. ex perſona. 3. C. de probat.* & præſu-

præſumitur * quilibet, quoad vivit, lucrari a- 18.
liquid, & ditior fieri poſſe, *L. ſi defunctus 10. C. arbit. tut.* Itaque jurare tenetur non tantum ſuper præſentibus, verum etiam ſuper futuris (nam ſicut res * futuræ, & quæ ſunt in ſpe, in 19.
ſtipulationem cadere poſſunt, *argt. L. interdũ 73. ff. de V. O.* vbi Weſenb. *in parat. num. 11.* ita quoque ſub juramentum *per Nov. noſt. 135.*) in quo non multum gravatur debitor, tum quia
* futurum omne incertum, Schneid. *§. curare n. 17. inſtit. de act.* tum quia facilius * remit- 20. 21.
tuntur ſperata, quam poſſeſſa, *L. cum hi 8. in pr. ff. de tranſact.*

Ratio alia, cur cautio exigatur, eſt hæc: quia 22.
cautionem * præſtare tenetur, quando quis vel in dubio ad aliquid admittitur, vel de fide alicujus dubitatur, *L. ſi ſervus 27. §. inquit lex ibi: & ſi colonus ff. ad L. Aquil. gl. in c. ſuſcitata. 6. v. cautionem Ext. de in integ. reſtit. vbi exempla in text: & multa alia in gloſſ.* Schraderus *in tract. de contract. §. omnis 3. n. 7. & n. 51. de V. O.* Weſenb. *§. 2. n. 10. inſt. de vſuf.*

Sic ei, qui * ob adverſam fortunam ad pau- 23.
pertatem & inopiam devenit, conceditur quandoq; dilatio quinquennalis, (de qua *in decad. 4. circ. f.*) præſtita tamen per eum ſatisdatione de ſolvendo, poſt Matth. de Afflict. *deciſ. 378.* & Guid. Pap. *deciſ. 109.* Matth. Brun. *q. 26. princ. n. 2.* Greg. Tholoſ. *c. 11. n. 14. per L. vniverſa C. de prec. Imp. offer.* Sic

24. Sic is, qui * bonis cedit, cavere debet, ſi ad meliorem fortunam pervenerit, ſe ſatisfacturum, quatenus facere poterit, *per c. Odoardus Ext. de ſolut. L. 4. ff. de ceß. bonorum.* Weſenb. *in parat. n. 5. ibid.* Gregor. Tholoſ. *loc. cit. num. 14.* Schneid. *§. f. num. 15. inſtit. de action.* Didac. Covarr. *lib. 2. var. reſolut. c. 1. n. 6.* Matthæus Brun. *de ceß. bon. q. 7. princip. per tot.* vbi plures alios
25. allegat. Sic condemnatus, * cui miſerationis cauſa terminus ſolvendi judicatum conceditur, ad ſatiſdandum compellitur, *per L. ſi debitori ff. de jud.* Brun. *ibid. n. 3.* vbi *num. 2. & 4.* adhuc alia exempla affert, quæ videri poſſunt. confer decad. *3. q. 1. n. 124.* vbi aliud ſimile reperies.

26. Ratio * cur non alia, niſi juratoria cautio
27. exigatur, eſt hæc: quia * qui fecit, quod potuit, legem adimplevit, *L. ſi quis in gravi, 3. §. 4.*
28. *ff. ad S.C. Syllania*: atqui * debitor calamitoſus in eo ſtatu vix aliam dare poterit, Covarr. *loc. cit. num. 6.* Matthæus Brun. *q. 27. num. 8. inf.* nulla enim bona habet, quæ pignori dare valeat, & proinde neque facile fidejuſſores vllos reperiet, *vid. inf. q. 6. n. 81.* quare cautionē præſtabit talem, qualem præſtare licet, *c. faciat. 22. q. 2.* Weſenb. *n. 10. ff. qui ſatiſd. cog.* videlicet jurabit ſe diſſoluturum æs alienum, ſi ad pinguiorem venerit fortunam, *per not. gl. in c. Odoardus per c. ex part. de V. S.* Greg. Tholoſ. *loc.*

cit.

cit.n.14. Et licet hæc de eo præfati DD. aſſeverent, qui ceſſionis beneficium amplectitur, tamen propter paritatis rationem & in eo verificari poſſunt, qui bonis non cedit, ſed beneficio *Nov.135.* vtitur, *vide inf. decad. 3. q. 1. n. 124. cum mult. ſeqq.*

Ex quo à contrario inferre licet primò: ſi quis * fidejuſſores invenire poſſit, quod juramentum ipſius forte non ſufficeret, per not. 29.
Brun. *d.q.27. num. 1, 6. & 7. & Novell.4. cap.3. vid. d.q.1.n.126.*

Inferre licet ſecundò: quod is, * qui aliqua adhuc habet, & nihilominus ceſſionem 30.
ſubterfugere deſiderat, ſi cautionem cum fidejuſſore præſtare non poteſt, ſaltem juratoriam cum hypotheca bonorum ſuorum præſtare neceſſe habeat, per notata Brun. *loc. cit. n. 9.* Sic enim ceſſat ratio ſimplicis juratoriæ cautionis, ergò & ipſa cautio, *vid. inf. q. 9. n. 55. decad. 3. q. 1. n. 128.* vbi *n. 129.* Rationem reperies. Obiter tamen hic Notandum, quod in hoc juramento includantur * mobilia tan- 31.
tum, non immobilia *d. Nov: ibi: donatione in rebus mobilibus præſtet*; deinde quod non extendatur ad res vxoris. ibid. *v. extra tamen res vxoris.* Ratio prioris eſt: * quia res mobilis 32.
facilè poteſt occultari, & ſic fraus fieri, quod non eſt in re immobili, cum ſemper pateat, & oculis ſubjaceat, Schneid. §. *poßidere n. 184.*

 inſtit.

inſtit.de act. Itaque quoad immobilia non vo-
33. luit Imperator * ſuperfluo juramento grava-
re, argumento *c. 2. extra de probat.* Weſenb.
n.5.ff.de jurejur. Ratio poſterioris: quia Exe-
34. cutio * fieri nequit in bonis mulierum, ſive
dotalibus, ſive paraphernalibus, nam hæc cir-
ca executionem ſuper debito mariti privile-
giata eſt, ne pignori capiantur, DD. *ad.L.ob
maritum C.ne vxor pro marito*, Dornſperg.
Syntag. jur. l.3. c.6. q.in quibus rebus execut.n.9.
35. *vid.decad.3.q.4.n.78.* Ratio * alia poſterioris:
quia res aliena obligari non poteſt, *t.t. C.ſi res
aliena pign. dat.* res autem vxoris alienæ ſunt,
non mariti, ſive de dotalibus, ſive de para-
phernalibus, ſive de receptitijs ſermo ſit, *vid.*
36. *inf.q.6.n.163.* nam etſi * maritus Dominus do-
tis dicatur *L.penult. C.de jure: dot. argt. L. doce
ancillam 9.C.de rei vind.* Weſenb. *n.6.ff.de ritu
nupt.* illud tamen intelligendum eſt tantum
civiliter loquendo, adeoque fictione juris, re-
vera autem & naturaliter ejus dominium
pertinet ad vxorem, *d.L.in rebus pen. C.de jure
dot*: Schneid. *inſtit.quibus alien.non lic. num.5.*
Weſenb.*n.7.ff.de jur.dot.* vnde *in L. denique 3.*
37. *§.ergo 5.inf.ff. de minor.* * dos dicitur propriũ
patrimonium vxoris, quod eventu ſive exitu
inſpecto veriſſimum, etſi maritus conſtante
matrimonio quodammodo Dominus ſit, *L.
Lucius 21.§.4.ff.ad municip.* quoad emolumen-
um,

tum, *per text. in L. quamvis 75 ff. de jur. dot.* De paraphernis minus dubium eſt, quod alienæ ſint, nam illarum maritus * legitimus dici- 38.
tur adminiſtrator, & procurator, Mynſ. *cent. 3. obſ. 53. n. 4.* Schneid. *§. ijdem n. 2. inſtit. de Excuſa: Tut. per text. in l. fin. C. de pactis convent.* ſuæ autẽ rei * nemo procurator eſt, Weſenb. 39.
n. 2. ff. de procu. Deniq; in * receptitijs extra 40.
controverſiam eſt, quod alienæ ſint, quia ne quidem legitimus adminiſtrator maritus eorum eſt, ſed opus habet, vt vel ab vxore procurator conſtituatur, vel cautionem de rato præſtet, Schneid. *d. §. ijdem n. 2. inſtit. de excuſ. tut.* ad quod eſt *text. in L. 21. C. de procur.* Ratio adhuc alia: quia etſi dicamus maritum Dominum eſſe dotis, & mulierem * creditricem, 41.
tamen ea ita privilegiata eſt, vt præferenda ſit omnibus ſimpliciter creditorib9, etiam priorem hypothecam habentibus, *L. aſsiduis C. qui potior: in pign.* (dotis enim * cauſa ſemper 42.
& vbiq; præcipua eſt, *L. 1. ff. ſolut. mat.* Mynſ. *cent. 4. obſer. 13.* vide etiam Gail. *2. obſer. 81. per tot.*) adeoque fruſtra ſibi faciet creditor ſuum debitorem ſuper ea jurare, quia fruſtra * ex- 43.
pectatur, cujus eventus nihil operatur, *argt. L. cum hæres. 52. §. 1. ff. de acqui. hæred.*

Tertia * conditio videtur eſſe: vt debitor 44.
cedat actiones, ſi quas habet contra ſuos debitores, *vide decad. 1. q. 7. n. 18. cum ſeqq.* idque

„ *per text. in d. Nov. 135. circ. f. ibi.* præterea ſi „ quæ ipſi jura lex, &c. præſtet, in quorum „ poſſeſſione nondum conſtitutus ſit, com„ petere tamen ipſi videantur, poſſintq́; cre„ ditores, vel partem ex ijs, vel etiam totum „ colligere, revera hoc fiat, ſiquidem ad ipſos „ pertineat, creditoribuſq́; hujuſmodi actio„ num vindicandi, & in perſonam ejus, qui „ aliquando jurium futurus ſit dominus, a„ ctiones inſtituendi, ſive præſens debitor „ eſt, ſive non, & (vt ſimpliciter dicamus) „ quoad actionem, & vindicationem rerum „ conſiſtendi in perſona ejus, qui ita fuerit „ obnoxius, licentia ſit. Quæ verba obſcura non nihil ſunt (propterea quia *d. Nov: 135.* in
45. græcis * codicibus primùm evulgata fuit, cũ antea latinis interpretibus nota non fuiſſet. Nam neque in Epitomas & Authenticas latinas relata eſt, neq; ab vllo veterum interpretum commemorata, teſte Hotoman. *quæſt. illuſt. 26. f. 125. circa f.*) Nihilominus tamen pleriq; ex Neotericis ita interpretantur, vt ſenſus
46. ille, de quo ſupra dixi, prodeat. Sic enim * Cujacius *ad d. Nov: 135. inf.* ait: ſed creditoribus pro extremo ſubſidio datúr Jus, quantũ potuerint, bona debitoris conquirendi, & vindicandi, & conveniendi etiam debitores
47. debitoris. Cui ſubſcribit * Matth. Stephani *ad d. Nov: 135. n. 9. & 10.* his verbis: quo tamen

caſu,

caſu, creditoribus permittitur in eadem Nov: vti ipſi conquirant, ac vindicent bona debitoris, quæcunque poſſint, imò etiam debitores ſui debitoris conveniant. 48.

Accedit * Henric: Agylæus *add. Nov: 135.* vbi dicit: ad hoc, ſi qua ipſis (debitoribus) Jura lex ex hæreditate, aut donatione cognatorũ in rebus mobilibus (aut immobilibus, vt idem Agylæus in collatione Holoandricæ Interpretationis cum Scrimgeri lectione ſupplet) præſtet, quarum poſſeſſionem haud dum adepti ſint, ipſis tamen competere conſtet, ſiquidem creditoribus è re ſua eſſe videretur, ipſos iſthinc poſſe, quantum deberetur, quantumve in ſolutionẽ confici poſſet, corradere, in eáſque tam liberas creditoribus actiones permittit, vt & quemcunque earum Dominum, ſiue præſens ſit debitor, ſiue non, inquietare, & quoad actionem, vindicationemque in perſona debitoris conſiſtere poſſint. 49. Quæ omnia clariùs Hotomannus * *loc. cit.* exprimit, vbi dicit: Juſtinianum ſtatuiſſe, ne debitores, qui non ſuâ nequitiâ, ſed fortunæ vitio facti fuerunt non ſolvendo, bonis cedere cogantur, ſed poſteaquam jurârint, ſe non habere in bonis, vnde æs alienum ſolvant, & bonam copiam ejurârint, ab omni creditorum moleſtia liberi ac ſoluti ſint. Quibus tamen actiones petitioneſq; omnes, quæ debitori competunt, competituræve ſunt, ce-

dentur, vt ſi quid aliunde exigere poſſint, ſibi habeant. Si adhuc clariùs aliquid petis, addu-
50. çam tibi verba Domini * Philippi Zoreri (in quem poſt abſolutum jam patrocinium meũ incidi) qui in lingua noſtra vernacula *quæſt. 8. n. 617.* ita loquitur: Wann ein Schuldner/ der durch Vnglücks Fall vmb das ſeinig kommen/ betewrlich vorgibt/ daß er nicht bezahlen könte/ vnnd daher omnibus actionibus ſibi competentibus ſeinen Glaubigern der geſtalt cediren will/ daß ſie hiervon einforderen/ vnd einbringen/ wie ſie jmmer können vnd mögen/ daß der hiebey zu laſſen/ vnd hierwider nicht zu treiben ſeye. *d. Nov: 135.*

Hæc formalia interpretum verba idcircò volui in terminis adnumerare, nè viderer verbis Juſtiniani Imperatoris peregrinum & exoticum ſenſum affingere. Ex quibus omnibus tria meo judicio videntur elici poſſe. Pri-
51. mò * quod debitor ipſe cedendò actiones, quas contra alios habet, ſe pro hic & nunc ab impetitione & moleſtia creditorum, & ſimul etiam à ceſſione bonorum liberare poſſit: Se-
52. cundò quod creditores * debitorẽ ſuum, qui beneficio *Nov: 135.* ſe tueri cupit, etiam invitũ ad hoc adigere poſſint, vt ſibi actiones ſuas
53. cedat. Vel tertiò, * quod etiam ſine ceſſione, loco ipſius debitoris, ſive præſens ſit, ſive non, actiones tam reales quam perſonales inſtituere valeant.

Primum

Primum manifeſtè tenent Hotomannus & Zorerus in verbis jam allegatis, & habet hanc* rationem: quia qui fecit, quod po- 54.
tuit, legem adimplevit, *L. ſi quis in gravi 3. §.4. ff. ad S.C. Syllan*: talis autem debitor per guerram ſpoliatus, & infortunio belli depauperatus, ampliùs aliquid præſtare nequit, vt ſuppono, nam neque mobilia habet, quæ in executionem veniunt, neque immobilia, quæ citra maximum diſpendium diſtrahi poſſent, Ergo, quemadmodum *in decad. 1. q. 7. num. 18.* dixi, carcerem * illum quoque debitorem e- 55.
vitare poſſe, qui in caſu deficientium bonorum offert nomina debitorum ſuorum, ita quoque dicere licet, qui vel nomina offert, vel actiones, (quæ ſunt nominum exactiones, Weſenb. *n. 6. ff. de act. vel hæred. vend.*) cedit, vitare poſſe bonorum ceſſionem.

Secundum deſumo * ex traditis per Joan. 56.
Sichard: *ad L. 2. C. quando fiſcus, vel privatus, n. 5. inf.* vbi ait: creditor curet ſibi à debitore principali mandari actiones contra debitorem debitoris, & ſi debitor principalis non vellet mandare, poſſet cogi per judicem, vt faciat, vid. Zanger. *de except. p. 3. c. 1. num. 147.* Idq; nititur hac æquitatis * ratione: quia de- 57.
bitor in tantum planè tenetur, in quantum facere poteſt, ut infra *decad. 3.* fuſiùs oſtẽdam, atqui actiones ſuas benè cedere poteſt, Ergo,

&c. minor probatur: quia hoc neque difficile, neque grave eſt debitori. Difficile ideo
58. non, * quia neceſſarius non eſt conſenſus debitoris, contra quem actio ceditur, ſed ſolius cedentis, *L.2.& L.3.C.de donat.* Weſenb. *C. de alien.jud.mut.cauſ.L.1.C.de novat.* Weſenb.
59. *inf.ff.eod.* & hoc ipſo jam ceſſit, ſi * inſtrumẽtum tradidit, in quo continentur nomina debitorum, *argt.L.2.§.1.ff.de pact.* vbi Bart. *& L. 1.C.de donat.* Schneid. *de donat. int. viv. n.83.id. ff.poßidere n.117. inſt.de interd.* Sichard. *ad rub. tit.C.quæ res pig.*

60. Grave ideo * non, quia is, cui ceduntur actiones, illas ad concurrentem tantum quantitatem, quâ ceſſæ vel venditæ ſunt, exercere, *L.per diverſas 22.C.mandati* Weſenb. *n.6.ff.de hæred.vel act.vend.* & vt infra *n.82.* dicam eas ſaltê, quæ pro ſuſtentatione neceſſariæ ſunt, retinere debitor poteſt.

61. Accedit & alia æquitatis * ratio: quia calamitoſus debitor ſubinde jus ſuum perſequi, vel actiones ſibi competentes exercere non valet, vel propter adverſarij & debitoris ſui potentiam, vel propter ſumptuum defectum, quo in caſu plenum foret invidiæ, ſi illas ſine ſuo commodo retinere, neque alteri, qui vtiliter eas intentare & vellet & poſſet, ſponte cederet, *vid.ſup.n.12.*

62. Tertium * videtur colligi ex verbis textûs ibi;

„ ibi: *& in perſona ejus, qui aliquando jurium*
„ *futurus eſt Dominus, actiones inſtituendi, ſive*
„ *præſens debitor eſt, ſive non*, quæ verba nonnihil dubium recipiunt ſenſum, vel vt creditores loco debitoris poſſint actiones inſtituere tanquam negotiorum geſtores, abſente debitore (vt nonnemo opinatur) vel tanquam mandatarij & procuratores in rem ſuam, eo præſente, de quo *L. ſervum §. f. cum L. ſeq. L. licet ff. de procurat.* Quia * paria ſunt mandare 63.
& mandare debere, *argt. c. 9. ext. de conſtit.* Sed hæc explicatio non caret difficultate ſpectatis ſubtilitatibus juris. Quare eò fortaſſis devenire, & ſimpliciter dicere licet, creditorem 64.
* vtilem actionem perſonalem contra debitores debitoris ſui habiturũ, vel etiam actionem realem contra eos, qui res debitoris detinent, vel poſſident, abſque ceſſione. *vide ſup. decad 1. q. 9. n. 155. vide ſimile aliquid apud* Greg. Tholoſ. *p. 3. c. 11. n. 3.* Cardin. Tuſch. *lit D. concluſ. 45.* Idque videtur ſentire Cujacius in verbis iſtis: creditoribus datur jus bona debitoris vindicandi, & conueniendi debitores debitoris. Et Matt. Stephani in verbis: creditoribus permittitur (ſubintellige ipſo jure, & ſine facta ceſſione) vt vindicent bona debitoris, & debitores ſui debitoris conueniant.

Etſi enim reg. loq. vtilis * actio ſine ceſſio- 65.
ne non competat, Jacob: de Arena, *in tract.*

 de ceſſ.

de ceſſ.jur.& act.rub.6.n.54. mihi fol.598. Auctor quidam anonym: *repertus in corpore ſelect.tractat.de pignor.mihi fol.602.n.1.* ijdem ta-
66. men recenſent * quinque vel ſex caſus ſpeciales, in quibus id fallit, (*vide plures apud* Card. Tuſch.*lit. A.concluſ.102.per tot.*) iſtis quid impedit annumerare etiam eos caſus, quibus fiſcus, vel privatus debitoris ſui debitores convenire poteſt? *Tot.tit.C. quando fiſcus.* id enim fit mediante actione vtili, Gothof.*ibid.ſub Lit. a.*

Si quæras cum Dominis Studioſis contra hanc explicationem & poſitionem argumen-
67. tantibus, quomodo fieri poſſit, vt aliquis * rei vindicationem ſuo debitori competentem intentet, cum tamen illa detur tantum Domino? *L.in rem.13.ff.de rei vind.* Quæro viciſſim, quomodo tunc creditori detur rei vindicatio, cum ipſe debitor eam expreſsè cedit,
68. quemadmodum * bene cedere poteſt, §. *cum autem.verſ.vtiq; tamen inſt.de empt.* non minùs atque actionem perſonalem, Joan: à Graſſis, *de ceſſ.jur.& act.§.3.n.2.* Jacob.de Arena.*n.54. cum ſeqq. eod.* Si reſpondeas, debitorem ſuo
69. creditori vnà cum * rei vindicatione rem ipſam ſive dominium cedere; reſpondeo viciſſim, etiam legem vtilem rei vindicationẽ concedendo ſimul dominiũ concedere, quia
70. lex * plus poteſt, quam nos poſſimus, & magis

gis eſt domina rerum noſtrarum, quam nos ſimus, Oſtermañ: *ad rub. inſt. de fideicommiſſ. hæred.* Quemadmodum igitur in vſucapione lex poſſeſſori * dominium adijcit præter vo- 71.
luntatem Domini, Weſenb. *in parat. ff. de vſurpat. & vſucap.* contra reg: Quod * noſtrum 72.
eſt, ſine facto noſtro ad alium tranſire non poteſt, *L. id quod noſtrum 11. ff. de* R. I. ita non video, quid obſtet, quò minus in noſtro quoq; propoſito adijcere poſſit, quemadmodum etjam *in §. item ea 17. inſt. de* R. D.

Quid ſi autem debitor debitoris alteri ſolvere recuſet, quam cui debet, & creditor neque mandatum, neque inſtrumentum tranſporti (vt loqui in praxi ſolemus) vel ceſſionis à ſuo debitore habeat, quomodo tunc ei conſultum erit? ℞. Tunc ſupereſt quartus modus juxta quem licebit dicere, * magiſtra- 73.
tum poſſe abſque voluntate & ceſſione debitorem debitoris ad hoc adigere, vt creditori ejus ſatisfaciat, per text. expreſſum *in L. 2. C. quando fiſcus vel privatus*, vbi Imperator Antoninus conſtituit, ſi in cauſa judicati debitoris condemnati nihil ſit, quod ſine quæſtione pignoris loco capi, ac diſtrahi poſſit, vt debitores ejus conventi ad ſolutionem authoritate præſidis compellantur. Quo in * caſu ſecurè debitor debitoris ſolvere, & 74.
pecunias in manibus juſtitiæ vel curiæ deponere,

nere, ſicque liberari poterit, ſecundum Bart. *in L. creditores 3. in pr. n. 3. ff. de ſolut.* tanquam exactus à republica, maximè ſi ſuper hac ſolutione, recognitionem acceperit, & oſtenderit immediato ſuo creditori, vide Coler: *de proceſſ. execut. p. 3. c. 8. n. 8. Item p. 2. c. 3. n. 485. 489.*
75. *495.* vbi varios * modos recenſet, quibus aliquis vti poteſt tunc, cum creditum ſuum ex bonis debitoris tanquam inſufficientibus conſequi poſſe deſperet, è contra verò debitor habet viciſſim ſibi obligatos alios debitores.

Et hi ſunt quatuor modi, quibus in noſtro propoſito conſulitur tam debitori, vt à moleſtijs creditorum, & à ceſſione bonorum liberetur, quàm creditori, vt ſuum nihilominus
76. creditum aliâ ratione & viâ conſequatur.

Neque ijs * obſtat primò ordo executionis, à D. Pio præſcriptus *in L. à Diuo Pio 15. §. in venditione. 2. ff. de re judica*: ſecundum quem initium fit à mobilibus, & ſe mouentibus, ab ijſque ad immobilia, & illis non ſufficientibus ad actiones & nomina debitorum primùm peruenitur, quemadmodum vidimus
77. ſupra, *decad. 1. q. 4. n. 52.* nam ad hoc ℞. primò, * in noſtro propoſito non multùm recedi à præſcripto. D. Pij, Suppono enim debitorem per guerram ſpoliatum, & ad ignominioſam (vt Imperator loquitur) vitam, ipſiûſque victûs

ctûs & amictûs neceſſitatem quaſi adactum eſſe, vnde non poteſt de mobilibus multa adhuc in ſaluo habere, quæ velimus executioni ſubijcere. Suppono deinde bona immobilia & prædia, vel deuaſtata, inculta & neglecta eſſe, vel ita conſtituta, vt emptorem omninò non reperiant, aut juſtam æſtimationem nõ recipiant, vnde proximus gradus ad nomina & actiones datur ℞. ſecundò, quandòque * ab or- 78.
dine executiuo D. Pij eſſe receſſũ, vel per leges poſteriores, juxta ea, quæ tradita ſunt ſupra *quæſt. 7. decad 1. n. 15.* vel etiam ex ſingulari privilegio, & favore perſonarũ vel rerum (ſic pupilli, & minores, ſi contra illos executio ſuſcipitur, in hoc priuilegiati ſunt, quod priùs ad nomina, jura, & actiones perueniatur, quàm immobilia mobilibus non exiſtentibus diſtrahantur. *L. magis puto 5. §. non paſſim ff. de rebus eorum qui ſub tut. v. quærere ergo debet*, Coler. *p. 3. c. 9. n. 32.* Sic ea, quæ nomine alimentorum veniunt, inter quæ etiam lecti, & veſtes vulgares ad quotidianum uſum comparatæ, ſine quibus homo commodè & honeſtè vivere non poteſt *arg. L. 6. & f. ff. de alim. reg.* in ea conditione ſunt, ut quavis aliàs à mobilibus ordiamur executionem, tamen pro executione pignori capi nequeant, ſi res aliæ exiſtant, id. Coler. *p. 2. c. 3. n. 186.*) vel voluntate partium. *decad. 1. q. 6. n. 31.* vel denique ſtatuto & conſue-

tudine

tudine, Guid. Pap. *in deciſ. Gratianop. 281. per*
79. *tot. idem, deciſ. 568. per tot.* cum * itaq; Novella
135. ſit multò poſterior, & debitores calamitoſi, vt ex ea apparet, valde favorabiles, non debemus illos ad rigorem D. Pij, qui aliàs non æquè vbiq; obſervatur, Br: *in d. L. 15. n. 8.* nodo Gordio adſtringere.

80. Neque obſtat ſecundò, quod creditore * invito nemo poſſit debitorem ſuum delegare, *L. 1. C. de novat. L. 16. C. de ſolut.* Weſenb. *n. f. ff. de alienat. jud. mut. cauſ.* Card. Tuſch. *Lit. C. concluſ. 1056. vid. ſup. decad. 1. q. 3. n. 20. & 21.* Id
81. enim cæteris paribus verum eſt, * Limitatur autem, ſi tota ſubſtantia debitoris in nominibus poſita ſit, & neque mobilia, neque immobilia, quæ ſub executionem cadunt, ſuperſint, tunc enim neceſſitas eò creditorem deducit, vt nomen debitoris in ſolutum ſuſcipere compellatur, *argt. L. à Divo Pio §. 2. & 8. ff. de re jud. argt. L. 2. C. quando fiſcus vel privatus.* Guid. Pap. *deciſ. 568.* Zanger. *de except. p. 3. c. 1. num. 147.*

Atq; hæc de tertia conditione, quod videlicet debitor creditori actiones ſuas debeat cedere, vel creditor debitores debitoris ſui poſſit convenire ſatis, quam tamen ſic puto
82. Limitandam * eſſe: niſi ceſſio iſta vel exactio eò debitorem perduceret, vt ipſemet egere deberet, nam ſi quis nervum debitoris

ſui

ſui incidere, vel iſtud nomen vellet exigere, eoſque proventus & reditus ad ſe trahere, ex quibus debitor omnem & vnicam ſuam ſuſtentationem habet, audiendus minimè foret, neq; hic ad ceſſionem actionum cogendus, *per text. in d. Nov: 135.* ibi: *denuò per vim ad ignominioſam vitam tranſponatur*, &c. qua de re infra ſuo loco pluribus agam.

Præter iſtas tres conditiones ex ipſo textu Novellæ 135. deſumptas hoc fortaſſis debitori injungi poſſet, vt omnia * bona, quæ habet, 83.
indicaret, *vide ſimile quid ſup. decad. 1. q. 5. n. 46. n. 112. & n. 65. q. 6. n. 28. & 29. inf. q. 8. n. 62. q. 7. n. 47.* Ratio quia beneficium ceſſionis flebile, & miſerabile non aliter competit debitori, niſi indicet ſua bona, Bart: *ad L. pen. ff. de ceſſ. bon. gl. ad L. 1. C. eod.* Schneid. *§ f. num. 15. inſtit. de action.* Mynſ. *ibid. n. 10.* Matth. Brun. *quæſt. 5. princip. per tot. id. quæſt. 7. n. 9. circa f.* qui *d. q. 5. n. 6. & 7.* alijs Exemplis confirmat, adde Coler. *p. 1. c. 6. n. 157. & 158.* vbi dicit, quod compellatur reus ad hoc, vt evitet compedes, & ad ceſſionem admittatur, omnia ſua bona, mobilia ſaltem, item jura ac nomina ſpecificare mediante juramento, etiam in eo caſu, vbi in locum pecuniæ debitæ offert ſolutionem de bonis ſuis, Ergo etiam beneficium Novellæ 135. non aliter debitori competet,

niſi

niſi bona ſua manifeſtauerit; tum quia trala-
titium eſt *in executionibus, vt debitor bona
84. ſua mobilia omnia oſtendat, Berlichius, *p. 1. concluſ. 56. n. 34.* tum quia beneficium hoc pinguius eſt & plenius, & plura reg: ab eo exi-
85. guntur, * cui plura committuntur, Weſenb. *n. 11. de I. & I.* quò facit Ratio alia: vt nimirum judici conſtare poſſit, an debitor ſit talis, qui beneficio d. Nou: gaudere debeat, quod ſine cauſæ cognitione facilè concedendum non videtur, confer decad. *1. q. 5. n. 46. & 65. q. 6. num. 28. 29. 36. 39.*

86. Quia vero tam * difficiles conditiones Imp. Iuſtin. calamitoſis debitoribus ad ſubterfugiendam bonorum ceſſionem præſcripſit, ut videl. primò jurent, ſe pro hic & nunc nullam ſoluendi occaſionem aut pecuniam habere, & ſi in futurum aliquid acquiſierint, creditoribus ſatisfacere velle: deinde vt cedant actiones, ſi quas contra debitores ſuos habent, non ſine ratione mihi obiecerunt ſupra in fine quæſt: 1. laudatus Ampliſſimus Dom: Procancellarius, nec non Admodum Reuerendus Clariſſimus Pater Georgius Lyprand SS. Theologiæ Doctor, Profeſſor, ac pro tempore facultatis Theologicæ Spectabilis Decanus, Nobilis item Clariſſimus atq; Excellentiſſimus Dominus Arnoldus Rath. Iur: Doctor Profeſſor, &c. collegæ mei plurimum honorandi-

randi & obſervandi, (quos honoris & amoris causâ nominare volui,) ſe non videre, quomodo beneficium Nov: 135. mitius ſit remedio ceſſionis bonorum, quibus acriter diſputantibus reſpondi, & omnibus alijs, quibus hoc dubium occurrere poſſet, reſponſum volo. Illud inprimis ampliùs & mitius in beneficio Juſtiniani, quam Julij Cæſaris de cedendis bonis reperiri; quod in * hoc poſte- 87.
riori bonis cedens infamiam ſaltem facti apud probos & honeſtos viros incurrat, (quémadmodum ſupra jam probavi, & infra *q. 6. n. 99.* vlterius oſtendam) non quod ceſſio * ipſa, 88.
(quæ nihil aliud eſt, quam abdicatio bonorũ, & declaratio deſuper tam inter præſentes verbis, quam inter abſentes per epiſtolam vel nuncium, tam in jure quam extra jus facta, *L. f. ff. de ceßion. bon. vid. inf. q. 6. n. 96.* in ſe ſpectata ignominioſa ſit, ſed quia publica venditio & ſubhaſtatio bonorum, quæ ceſſioni connexa eſt, *L. 4. C. qui bonis ced. poſſ. vid. ſup. decad. 2. q. 1. n. 84.* aliquam ſecum infamiam trahit, §. *1. inf. inſt. quibus ex cauſ. manum. non licet: vid. inf. q. 6. n. 99. cum ſeqq. q. 9. n. 7. & ſeqq. & n. 58.* in priori autem Novell: 135. beneficio integram & inviolatam ſuam famam debitor retinet; quam differentiam Imp. ipſe non obſcurè indicat in verbis d. Novell: ibi: *aut hujuſmodi contumelijs uti ac prætextibus;* & *ibi:*

 admor-

ad mortem vſq; premi opprobrio ignominiæ.

89. Deinde * calamitoſus debitor juxta diſpoſitionem Nov: 135. non ſimpliciter debet jurare ſe nullam habere pecuniam, ſed illud ſolum, ſe non habere tantum reliquum, vnde æris alieni ſupplementum faciat. Ex quo non ſequitur, quod debeat omnem ſuam pecuniam dimittere, & inde creditoribus ſatisfacere; quia ipſe Imp. *in f. pr.* verbis clariſſimis ſignificat, eum non debere denuò per vim ad ignominioſam vitam tranſponi, & ad quotidiani victûs & amictûs corporis inopiam adigi. Quod tamen neceſſariò fieret, ſi omnia relinquere oporteret.

90. Tertiò, * quamvis de rebus futuris ſatisfacere, & actiones creditoribus cedere teneatur; non tamen in ſolidum, ſed eatenus, quatenus facere poteſt, atque ita, ne vt dictum, ad quotidiani victûs & amictûs corporis inopiam adigatur, quæ verba (vt bene animadvertit prædictus Clariſſ: Dn. Doct. Rathius) tacitè indicant, Imp. Juſtin. calamitoſis debitoribus beneficium competentiæ concedere voluiſſe, de quo quia in *decad. 3. quæſt. 1.* ex profeſſo dicturus ſum, ideo hoc loco vlterius examinare non poſſum.

QVÆSTIO III.

Quibus in caſibus ceſſet beneficium Novellæ 135. ita vt debitores depauperati, adhuc hodie bonis cedere, vel carceres ſubire cogantur?

SVMMARIA.

1. *Ratio ordinis.*
2. *Nulla regula ſine exceptione.*
3. *A ceſsione bonorum non eſt immunis ille, qui ſuos debitores ad ceſsionem vrget.*
4. *Quod quiſq; juris in alios ſtatuerit, eodem jure vti debet.*
5. *Talionis jus in carceribus; 6. in operis 7. in ceſsionario. 8. in eo qui moratoriam dilationẽ impetravit.*
9. *Beneficio Novellæ 135. non gaudet, qui perfidè negat ſe pecunias vel res vendibiles habere.*
10. *Mendacium necat privilegium.*
11. *Ceſſante cauſa privilegij ceſſat privilegium.*
12. *Deficiente conditione deficit diſpoſitio.*
13. *Defraudans vel occultans aliqua bona perdit ceſsionis beneficium, & remedium Nov: 135. n. 14.*
14. *Fruſtra legis auxilium invocat, qui in eam committit.*

15. *Beneficium Novellæ 135. ijs tantum competit, qui ex accidenti & fortuito fatali caſu res ſuas amiſerunt.*

16. *Iura doloſis patrocinari non ſolent.*

17. *Delinquenti non datur privilegium & num. 24.*

18. *Nemo ex ſuo delicto præmium reportare debet: & n. 25.*

19. *Non negligentibus ſed impotentibus jura ſubveniunt.*

20. *Cedere bonis non poſſunt, qui dolo culpavé latiore in paupertatem inciderunt.*

21. *Calamitoſi debitores gaudent beneficijs, non malitioſi.*

22. *Beneficio Nov: 135. & remedio ceſſionis non vtuntur, qui partim ſuo vitio, partim adversâ fortunâ facultatibus fuerunt lapſi.*

23. *Debitores ex delicto vel quaſi non gaudent beneficio Nov: 135. ſed tantum debitores ex contractu & quaſi.*

26. *Ceſſionis beneficio deſtituti deſtituuntur quoq; beneficio Nov: 135. & n. 29.*

27. *Cui denegatur minus, denegatur & majus.*

28. *Privatus minoribus, majoribus frui non debet.*

29. *Iuxta quorundam locorum ſtatuta non habet locum Nov: 135. beneficium.*

30. *Requiſita Nov: 135. adimplere nolens non eſt immunis à ceſſione bonorum.*

31. Quo-

31. *Quoties ponitur vel conceditur aliquid ſub conditione, illud cenſetur requiri pro forma.*

32. *Formâ non ſervatâ diſpoſitio concidit.*

33. *Modus eſt pars ordinationis, & pro cauſa habetur, quemadmodum conditio.*

34. *Ceſſante cauſa diſpoſitionis ceſſat diſpoſitio.*

35. *Invito beneficium non datur.*

36. *Nov: 135. beneficium deficit, quando calamitoſus debitor vltrò cedit.*

POſtquam vidimus,* debitores modernos regulariter loquendo cogi non poſſe, vt cedant bonis ſuis, & intelleximus varias conditiones ad id beneficium conſequendũ requiri, ordo nunc poſtulat, vt quoniam * nulla regula eſt ſine exceptione, *argt. L. 1. v. vitiata eſt, vbi DD. ff. d. R. I.* referam etiam caſus illos, quibus debitores depauperati adhuc hodie ad bonorum ceſſionem compelli, vel carceribus mancipari queunt. Sequitur igitur ad concluſionem noſtram 1. 2.

Limitatio prima: vt nimirum * à ceſſione bonorum non liberetur is, qui ſuos debitores, eodem infortunio oppreſſos rigorosè nimis exigit, & bonis ſuis cedere cogit, tunc enim * quod quiſq; juris in alium ſtatuerit, eodem jure vti debet, *tot. tit. ff. quod quiſq;* &c. 3. 4.

quâ de causâ dixi *ſupra q.5. n.93.* in tali caſu *
5. etiam debitorem calamitoſum carceribus
6. compingi, & *q. 9. n. 203* eum * qui debitores ſuos ad operas adſtringere cupit, ipſum quoque ſuis creditoribus ad eaſdem adſtringi poſſe. Sic * in ſimili tradit Matthæus Brunus
7. *q.19. princip.* quod quemadmodum ceſſionarius, ſive is, qui bonis ceſſit, conveniri nõ vult ratione bonorum, quæ habuit ante ceſſionẽ, ita quoq; neque agere pro illis poſſit, & quod * is, qui moratoriam dilationem obtinuit, ſi-
8. cut conveniri non poteſt, ita neque alios convenire valeat, *argt. d. tit. quod quiſque juris.* vide ſimile quid *inf. decad. 3. q. 7. n. 85. & ſeqq.*

Limitatio ſecunda: niſi * apparuerit de-
9. bitorem ſolvendo eſſe, & vel pecunias vel res vendibiles habere, iſque perfidè neget, tunc enim in pœnam mendacij & inficiationis puto adſtringendum eſſe, vt vel ſolvat, vel bonis cedat, per notat: *ſupra q. 2. n. 14. in illat. inf. cond. primæ.*

Ratio eſt: quia * quod cedere bonis de-
10. bitores non cogantur, id habent ex ſpeciali privilegio, mendacium autem necat privilegiũ, *L. pen: C. ſi contra jus vel vtil: pub: c. ſedes 15. inf. extra de reſcript: c. ſuper literis 20. extra eod.*

Ratio ſecunda: quia cauſa privilegij eſt amiſſio bonorum, & conditio hæc: ſi nimirum juret, ſe neque aurum, neque vllam ſolvendi

vendi occaſionem habere, quæ conditio & cauſa non purificatur, vel verificatur in eo, quem conſtat aliquid habere, & fraudulenter occultaſſe, itaque * ceſſante cauſa privilegij, 11.
ceſſare debet ipſum privilegium, §. *ſed hactenus 3. inſt. de milit: teſtam. L. f. C. d. reſtit. mil.* & deficiente * conditione deficit diſpoſitio, 12.
Weſenb. *n. f. C. ſi contra jus vel vtil. pub.* Confirmatur inde: quia debitor volens cedere bonis, ſi rem aliquam * fraudavit, ceſſionis be- 13.
neficium perdit, Brun. *quæſt. 5. princip. n. 1.* quoniam qui ſcienter occultat, neganti ſimilis eſt, *argt. L. hæreditatum §. f. vbi Caſtrenſis ff. ad L. Falcid:* & fruſtra * legis auxilium invocat, 14.
qui in eam committit. *c. quia fruſtra. extra. de vſur:* Brun. *loc. cit. n. 2. & 3.* Ergo multò magis privandus eſt beneficio Novellæ noſtræ, tanquam longè meliori & pinguiori, privatus enim minoribus majoribus gaudere non debet, *vid. inf. n. 28.*

Limitatio tertia: niſi dèbitor * non ex ac- 15.
cidenti vel caſu fatali, ſed ſuâ culpâ, vel ſupinâ negligentiâ ſolvendo eſſe deſierit, reſque ſuas amiſerit, *d. Novell. 135. §: vbique enim, vid. ſup. hac decad. 2. q. 1. num. f. inf. q. 8. num. 37. & num. 45.* v. g. ludendo potandoque decoxerit, non enim indiſtinctè omnibus debitoribus decoctoribus, prodigis, fraudatoribus hoc beneficium competit, ſed tantum ijs, qui

fortunæ ſiniſtrâ injuriâ bonis lapſi, adeoque fortuito caſu in paupertatem inciderunt, Matth. Stephani. *ad Nov: 135. n. 6.* vbi addit: inter vtrumque enim caſum magnam exiſtere differentiam, ipſa naturalis ratio monet,
16. cum jura *doloſis patrocinari non ſoleant, & potius his, qui ex neceſſitate, quam voluntate in calamitatem incidunt, ſubveniant, *per L. ſenatoris 47. ff. d. rit. nupt. L. ſi dictum §. 1. ff. de evict.* vide Brun. *q. 26. num. 2. & 4.* Deinde poteſt etiam hoc loco allegari eadem ratio, quæ ſupra, quia immunitas iſta deſcendit ex
17. privilegio; atqui * delinquenti non datur privilegium, *argt. L. ſi rerum 52. ff. de act. rer:*
18. *amot. L. ſi de dote 84. ff. de jure dot:* ne * quis ex improbitate ſua præmium reportet, *L. relegatorum 7. §. f. ff. de interdict. & releg. L. non fraudantur §. 1. ff. de* R. I. Eſto deinde, quod ſolâ incuriâ & ſupinâ negligentiâ ad paupertatem devenerit, tamen * non negligentibus,
19. ſed impotentibus jura in hac parte ſuccurrunt, *L. non enim 16 ff. ex quib. cauſ. major. add: L. pupillus 24. ff. quæ in frau: credit.* Ratio ad-
20. huc alia: quia * illi, qui nequitiâ, profuſione, culpâve ſuâ latiore in paupertatem inciderunt, dolove malo, cum ſe ſolvendo non eſſe ſcirent, contraxerunt, ne ad flebile quidem beneficium ceſſionis admittuntur, *per L. ſunt ff. de re judic. Dd. ad L. 2. & vlt. C. qui bon. ced. poſſ.*

Petrus

Petrus Peck. *in tract. ſuo de jure ſiſt. c. 4. num. 2. vid. inf. q. 8. num. 37.* ſed carceri ſtatim mancipantur, *per L. 2. §. tutores, ff. de ſuſpect. tuto: id. ibid. num. 2. inf.* Matthæus Stephan. *loc. cit. num. 6. & 7.* cur ergo admitterentur ad hoc eximium beneficium immunitatis? *vid. quæſt. 8. num. 4.* Confirmatur * primò per ea, quæ 21. *in decad. 1.* tradita ſunt, vbi malitioſos debitores ad carceres ablegavi, calamitoſos autem excuſavi. *q. 5. num. 62. cum ſeqq. & num. 79. cum ſeqq.* ſimiliter malitioſos ad operas addicendos, calamitoſos verò ab ijs liberandos exiſtimavi, *quæſt. 9. num. 1. cum ſeqq. & num. 79. cum ſeqq.* & in multis alijs caſibus magnum inter eos exiſtere diſcrimen oſtendi *quæſt. 9. à num. 16. vſque ad num. 22.* quò me brevitatis causâ refero

Quidſi * autem partim ſuo vitio, partim 22. adversâ fortunâ, bonis & facultatibus lapſus fuiſſet debitor, anne & tunc beneficio Novellæ noſtræ gauderet? videri poteſt, quod non, per tradita Benevenuti Strachæ de mercat: *in tract. d. decoctor. p. 7. princip. p. 3. num. 21. fol. mihi 302.* Rationem reddit Matth. Steph. *ad Nov. 135. num. 8.* quia interpretes hos ne quidem ad ceſſionis beneficium admittendos cenſent; *vid. inf. q. 8. num. 41.* Ratio rationis: hos enim admiſſa culpa humiles & deploratos, ac miſeratione indignos redde-

re putatur, *per L.f.§.f.ff.quæ in fraud.* Heig.*1.q.35.num.49.* Vnde prædictus Stracha decoctorem illum, qui partim fortunâ, partim ſuo vitio non ſolvendo factus foro ceſſit, *loc. cit.p.2. num.2 f.290.* non multò inferiori loco ponit, quam eum, qui bona ſuá ſtudia diſſipavit.

Limitatio quarta: beneficium Novell: noſtræ illis tantum datur debitoribus, qui * ex
23. contractu vel quaſi contractu tenentur, non etiam his, qui ex delicto quid debent, Matth. Stephani, *ad Novell. noſtram. num.12.* Ratio: quia his neque bonis cedere permiſſum eſt, *vid. inf.q.8.num.6.decad.3: q.7.n.3:* propterea quod ceſſio bonorum ſit Juris quoddam beneficium, *L.4.pen. & vlt. C.qui bon.ced.poſſ.* de-
24. linquenti * autem non datur beneficium, vt paulò ante in limitatione tertia dictũ; quip-
25. pè quod * nemini dolus ſuus patrocinari debeat, *L.1.§.1.ff.d.dolo except.c.15.extra.de reſcript. L.ita 31.in pr. ibi:* ne quis doli ſui præmium ferat *ff. eod. L.verum eſt 63.§.hoc quoq; 8.ibi:* nec enim æquum eſt, dolũ ſuum quenquam relevare. *ff. pro Socio. vid.* Matth. Stepha. *loc.cit.n.12.* vnde deduci poſſe videtur,

26. Limitatio quinta generalis: vt * beneficio Novellæ 135. vel ſimili immunitate plerumque non gaudeant, qui ceſſionis quoque beneficio carent, quos infra peculiari quæſtione

ſtione 8. enumerabo. Ratio eſt, quia * cui denegatur minus, denegatur & majus, *L. qui indignus 4. ff. de ſenat. c. nulli 3. diſt. 4.* & * privatus minoribus, majoribus frui non debet, *tex. in L. cui pacto 5. ff. de ſerv. export.* vnde deſcendit 27. 28.

Limitatio ſexta: quia * juxta quorundam locorum ſtatuta debitores non poſſunt bonis cedendo effugere carceres, vel addictionem in ſervitutem creditorum ad operas ipſis præſtandas, donec debitum fuerit perſolutũ, quemadmodum de Jure Saxonico teſtatur, Weſenb. *in parat. n. 3. ff. de ceſſ. bon.* Schneid. *§. f. inf. inſt. d. actio:* Coler. *de proceſſu execut. p. 1. c 9. n. 31.* & poſt Rittershuſ. *p. 9. c. 30. num. 5.* Matth. Stephani, *ad Novell. 135. n. 13. vid. ſupra decad. 1. q. 8. n. 4. inf. decad. 2. q. 8. n. 65. decad. 3. q. 1. n. 99.* ideo probabile eſt, in ijs locis beneficio Novellæ 135. locum non eſſe, per rationem in præcedenti limitatione adductam: dum tamen ſtatuta illa generaliter etiam de calamitoſis debitoribus procedant. 29.

Limitatio ſeptima: ſi quis * requiſita in ſuperiori quæſtione enumerata adimplere nolit, à ceſſione bonorum liber eſſe non poterit. Ratio: quia beneficium *d. Novell: 135.* non eſt ſimpliciter & purè conceſſum, ſed ſub conditione, vel modo; quoties autem * in diſpoſitione legis ſtatuti vel hominis 30. 31.

poni-

ponitur vel conceditur aliquid ſub conditiõ-
ne, illud cenſetur requiri pro forma, ita vt
32. formâ * non ſervatâ diſpoſitio concidat, per
tradita Gail, *2.obſer.132.num.3.* Item modus
33. * eſt pars ordinationis, & quemadmodum
conditio, Schneid. *§.ſub conditione n.f. inſt. de V.O.* ita quoque modus pro causâ habetur,
Weſenb. *num.9.ff.de cond. & demonſt. L.1. & 2.C. de his quæ ſub modo*: Sicut ergo * ceſſante
34. causa diſpoſitionis ceſſat diſpoſitio, *argt.c. magna 7.in f. extra. de vot.* ita quoque deficit,
non adimpletâ conditione, Gail. *2.obſer.132. num.4.*

35. Limitatio octava: quia * invito beneficium non datur, *L.invito 69.ff.de R.I. L.invitus 156.§.4.ff. eod.* ideo ſi quis volens & lubens
36. bonis ſuis ceſſerit, Novellæ * noſtræ beneficium deficit, nam omiſsâ obſervatione conſtitutionis recentioris licebit ſe veteri ignominiæ ceſſionis ſubijcere, *argt. §. ſed noſtra. inſt.de hæred.qualit.& diff.* de quo tamen pluribus infra *quæſt.6.*

Plures adhuc limitationes ex quæſtione octava eruere licet, nam pleriq; qui à ceſſione bonorum arcentur, nec ad beneficium Novellæ 135. admittuntur, vt in limitatione quinta dictum.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Quis probare debeat, debitorem non ſolvendo, & belli calamitatibus depauperatum eſſe?

SVMMARIA.

1. *Ratio ordinis.*
2. *Status quæſtionis.*
3. *Negativa reg. improbabilis eſt.*
4. *Affirmatio non negatio probanda.*
5. *Actori incumbit probatio.*
6. *Præſumptio transfert onus probandi in adverſarium.*
7. *Paria ſunt probare & præſumptionem juris pro ſe habere.*
8. *Divitiarum qualitas repugnat naturæ.*
9. *Pauper quilibet naſcitur.*
10. *Divitiæ quare probandæ?*
11. *Mutatio non præſumitur, & n. 31.*
12. *Accidens quodlibet præſumitur in eodem ſtatu perſiſtere, in quo ſemel fuit.*
13. *Qualitas quæ naturaliter ineſt, ſemper adeſſe præſumitur.*
14. *Pauper quiſque præſumitur, fallit. n. 23. dubium. n. 40.*
15. *Aſſerens ſe non habere niſi tantum in bonis, reijcit*

reijcit probationem in adverſarium, ita vt debeat probare, quod hābeat plus; declarat: num.42.

16. *Exemplum in donatore.*

17. *Aſſerens bona non ſufficere, transfert onus probandi in adverſarium. Exemplum in marito.n.18.*

19. *Probatio depauperationis incumbit debitori.*

20. *Fundamentum intentionis ſuæ quilibet probare debet; ſive affirmet, ſive neget, n. 21. ſive actor ſit, ſive reus. n.22. & n.24. n.26.*

23. *Fundans ſe in paupertate, vel divitijs, eas probare tenetur.*

25. *Maſcardi opinio & n.27.*

28. *Aſſerens ſe depauperatum, fatetur tacitè ſe divitem fuiſſe.*

29. *Privatio præſupponit habitum.*

30. *Semel dives adhuc talis eſſe cenſetur.*

32. *Ditior quis in dies fieri poſſe præſumitur.*

33. *Probatio depauperationis debitori calamitoſo injungenda, ad fruendum beneficio depauperatis conceſſo, & n.35. oſtenditur exemplo dilationis moratoriæ.*

35. *Exemplum in beneficio c. Odoardus, & ceſſionis bonorum.*

36. *Negativa probanda, quando quis ſe ſuper eâ fundat, & quando habet implicitam affirmativam. n.37.*

38. Reus

38. *Reus in exceptionibus ſit actor, & proinde illas probat.*

39. *Præſumptio vna tollit & infringit aliam.*

41. *Nemo de vento vivere præſumitur.*

42. *Debitor calamitoſus quando & quomodo ſe à probatione poßit liberare?*

43. *Olim dives etiam hodie præſumitur dives, niſi probetur mutatio.*

44. *Depradatio vniverſalis non neceſſariò arguit depauperationem alicujus in particulari, & quare? n.46.*

45. *Præſumptio hominis tam efficax non eſt, vt probationem inducat, vel in adverſarium reijciat.*

47. *Damnum communitati illatum non poteſt referri ad ſingulos. Direptione civitatis probata, facilius amißio rerum mobiliũ probatur.*

48. *Concluſio quæſtionis.*

49. *Debitorem, qui relevatur in multis, non eſt iniquum gravare in paucis.*

50. *Advocati facile poſſunt ſuos clientes vel gravamini ſubijcere, vel ab eo liberare.*

QVoniam * dictum in ſuperioribus fuit, debitores calamitoſos belli infortunio depauperatos, neque carceribus conſtringi, neque ad operas creditoribus addici, neque ad ceſſionem bonorum vrgeri poſſe, & in ſequentibus dicetur, 1.

cetur, eos pluribus adhuc alijs privilegijs, & beneficijs gaudere, ideo neceſſarium eſt ſcire,
2. * cui probatio incumbat tunc, cum debitor & creditor ſuper depauperatione litigant? Et videri poſſet, quod probatio incumberet creditori. Primò propterea: quia debitor tenet negativam, dum ait, ſe non eſſe ſolvendo; ne-
3. gativa * autem regulariter improbabilis eſt, *c. ſuper hoc 5.* ibi: negantis factum per rerum naturam nulla probatio eſt, *extra de renuncia*: id ipſum habetur *in c. quoniam 11. extra de probat*: *L. actor. 23. C. de probat*: *L. aſſeveratio 10. C. de non num. pecun.* Weſenb. *num. 6. & 7. ff. de probat. c. juravit 6. extra. de probat.* vndè dici
4. ſolet: quod * affirmatio non negatio probanda, *L. actor. 23. C. de probat.*

Secundò: creditor qui ſibi ſatisfieri cupit, eſt actor, debitor verò reus, atqui * actori in-
5. cumbit probatio, *text. in L. quoties 18. §. f. ff. de probat. §. non ſolum 5. in f. inſt. d. legatis*, Weſenb. *n. 6. ff. de probat.*

6. Tertiò: Præſumptio * relevat à probatione eum, à cujus parte ſtat, & transfert onus probandi in partem adverſam, *argt. L. ab ea 5. §. 1. ff. de probat.* Weſenb. *n. f. ff. eod.* Mynſ. *cent.*
7. *5. obſer. 68.* paria * etenim ſunt, vel quod quis probet, vel quod habeat præſumptionem Juris pro ſe, *per L. licet Imp. ff. d. leg. 1.* Didacus Covaruvias *varia: reſol. lib. 2. c. 6. n. 1.* atqui ſtant

præ-

præſumptiones pro debitore, quod nihil habeat, vel quod ſit pauper. Nam primò qualitas * divitiarum eſt regulariter repugnans 8. naturæ, Joſeph: Maſcard: *de probat: conclu. 1154.n.2.* Menoch. *de præſumptio: l.6.præſumpt. 25.n.8.* cum * quilibet nudus & pauper naſca- 9. tur, *c.ſicut ij.8.diſtin.47.* vnde qui * divitias allegat, eas probare tenetur, Covarru: *loc.cit.n.2.* 10. Maſcard: *loc.cit.* Matth. de Afflictis, *deciſ.377.* idque duabus de cauſis, nimirum: quia is, qui divitias aſſerit in aliquo, præſupponit mutationem de eo, quod naturaliter evenit, mutatio * autem non præſumitur, niſi probetur, 11. Maſcard. *loc.cit.n.3.* accidens * enim quodli- 12. bet præſumitur in eodem ſtatu perſiſtere, in quo ſemel fuit, Alciat: *de præſumptio: reg.2.* Weſenb. *ff. de præſumptio: & probat:* deinde * qualitas, quæ naturaliter ineſt, (vt pauper- 13. tas) ſemper adeſſe præſumitur, Alciat: *Reg.1.* Ang: *in L.ſciendum 30.in f. de V.O.* Weſenb. *loc.cit.* Vnde infert Maſcardus *loc.cit.num.1.* quod pauper * quiſque præſumatur, niſi pro- 14. betur contrarium, Didacus Covarru. *loc.cit. num.3.*

Quartò: qui * aſſerit ſe non habere niſi 15. tantum in bonis, & quod ſit pauper, reijcit probationem in adverſarium, ita quod debeat actor ſive creditor probare, eum habere plus, *per L.f.§.licentia C.de jur:delib:gl.in L.*

cum de L. Falcidia ff. de probation. vid. Covarr. *l. 2. var. res. c. 6. n. 3.* Vincent. Carocium *de excuſſ. bon. 2. p. q. 35. n. 6. cum mult. ſeqq.* vbi varia exempla adducit. Matth. de Afflictis *deciſ. 377.*
16. *n. 2.* vbi exemplum tradit: ſi * donator dicit ſe non habere, niſi domũ & fundum, ex quibus percipiat alimenta; & donatarius ſive creditor dicat contrarium, certè donatario incumbit onus probandi. Per eandem *L. final. & dict. gl.* Doctores conſtituunt quoque hanc maximam: quod tunc, ſi aliquis dicat,
17. bona * non ſufficere, non teneatur aliud probare, ſed transferat onus probandi contrariũ in adverſarium, Anton. Gabriel *commun. concluſ. lib. 1. concluſ. 7. n. 1.* vbi ingentem numerũ idem aſſerentium allegat; idipſum Doctores deducunt *ex L. maritum ff. ſolut. matr.* vbi ſuffi-
18. cit * maritum dicere, ſe non habere in bonis, vt poſſit gaudere beneficio competẽtiæ, adeo vt qui dicit eum divitem, debeat probare, Matth. de Afflictis *deciſ. 377. n. 3.* verum his non attentis

Reſpondeo ad quæſtionem, quod imò pro-
19. batio * depauperationis, niſi ſit notoria, incumbat debitori, non creditori, id quod video noviſſimè placuiſſe quoque Domino Zorero *q. 1. n. 172. & q. 11. n. 745.*

20. Ratio prima eſt: quia fundamentum * intentionis ſuæ quilibet probare debet, *gl. in L. ſi*

vero

vero 5.§.qui pro rei,verb.dubitetur ff.qui ſatisdare cogantur Weſenb.*n.6.ff.de probat. id. de act. empt.n.8.*Sive * ſe in affirmativa, ſive negativa 21.
fundet,Gail.*1.de P.P.c.18.n.14.*Maſcard.*loc.cit. n.6.*Matth.de Afflict.*deciſ.377.n.6.& 7.*Sive * 22.
actor ſit,ſive reus,*L.in exceptionib.19.ff.de probat.*Weſenb.*n.6 ff.de probat.*Covarr.*n.4.circa pr.*adeo vt præſũptio,* quæ aliàs ſtat pro pau- 23.
pertate, non procedat, quando paupertas eſt fundamentum intentionis alicujus,Menoch. *n.14.*Ioſ.Maſcard.*loc.ſupra cit.n.5.*vbi poſt Accurſ.ita docet: cum * quis divitẽ ſe dicit,pau- 24.
pertas præſumitur, quando autẽ pauperem ſe eſſe quiſpiam affirmat,vt aliquid cõſequatur, nequaquam pauper exiſtimatur, niſi id probationibus perſpicuum reddat. Adde Matth. de Afflictis *deciſ.377.n.4.* Matth.Brun. *de ceſſ. bon.quæſt.25.prin.n.5.*Eberhard.Speckan.*cent. 1.quæſt.38.in pr.* Covarr.*loc.cit.num.2.* vbi ait: qui divitias vel paupertatem allegat ad propriæ intentionis comprobationem,eam qualitatem probare tenetur, ſive is actor ſit, ſive reus. Et quamvis * Maſcard.*n.7.* velit non 25.
procedere id,quod diximus, quando quis adduceret paupertatem excipiendo, vt puta ſi quis ageret contra aliquẽ, tanquam cõtra divitẽ,& is exciperet de paupertate;tamen * alij 26.
indiſtinctè volunt procedere, ſive agẽdo,ſive excipiendo ſe aliquis in paupertate fundet;id

quod exemplis declarat, Jacob. Menoch. *loc. cit. n. 15. & ſeqq.* Did: Covarr. *loc. cit. n. 2.* Et ipſe
27. * Maſcardus fatetur, exceptionem munitam eſſe debere, aliqua legis præſumptione, quæ tamen in propoſito pro debitore non reperitur, ſed potiùs contra ipſum. Vnde pro ſtabilienda mea Reſponſione eſt

28. Ratio ſecunda: quia * hoc ipſo, quando debitor intendit ſe facultatibus lapſum eſſe, vel deſijſſe ſolvēdo eſſe, tacitè fatetur ſe quon-
29. dam divitem vel ſolvendo fuiſſe (eò quod * privatio præſupponat habitum, *L. decem 116. ff. d. V. O. L. manumiſsiones 4. ff. d. I. & I. L. Titio 96. ff. de condit. & demonſt:*) neceſſe igitur habet docere, quando, & quâ ratione ad egesta-
30. tem pervenerit, nam cum aliquis ſemel * fuit dives, adhuc talis eſſe cenſetur, Menoch. *loc.*
31. *cit. n. 2.* tum quia * mutatio tanquam accidens non præſumitur, *L. ſi vero §. qui pro rei ff. qui ſatiſd. cog.* tum quia jura (ſecundum aliquorum opinionem, quam *decad. 4. q. 4.* examinabo)
32. præſumunt, quod * quis indies fiat locuples & dives, *L. ſi defunctus in pr. C. arbit. tut.* Ergo multò magis præſumendum, quod ſemel dives adhuc ſit, & manſerit dives. *id. ibid. num. 3.*

Confirmantur hæc omnia primò per doctrinam Matthæi de Afflictis *deciſ. 377.* cujus
33. tempore cum * Princeps alicui civitati conceſſiſſet

ceſſiſſet propter onera, quæ portavit in proximo bello, dilationem triennalem, vt cives nõ poſſent conveniri, niſi quando creditores ſunt pauperiores debitoribus, ipſe & ejus collegæ injunxerunt reo cuidam probationem, ſe fuiſſe pauperiorem creditore, juxta dictam qualitatem in reſcripto adjectam, adeò quod non probando, non debeat gaudere dictâ moratoriâ: cum ergo ſimiliter beneficium Novell: 135. concedatur debitori cum hac conditione, & qualitate; ſi res ſuas non ſupinâ negligentiâ, ſed ex accidenti amiſerit, & per vim ad ignominioſam vitam tranſpoſitus fuerit, ideo ad conſequendum beneficiũ, qualitatem probare debebit.

Confirmatur ſecundò: qui *ad beneficiũ, 34.
c. Odoardus *extra de ſolut*: vel ad ceſſionem bonorum, vel ad terminum quinquennalem *juxta L.f.C.qui bon.ced.poſſ.* admitti deſiderat, is prius paupertatem ſuam probare debet, quemadmodum multis oſtendit Matth. Brũ. *de ceſſ.bon. q. 25. princ. per tot.* Ergo etiam & multò magis, qui frui cupit beneficio Novel. 135. depauperatis conceſſo, nam generaliter alleganti paupertatem incumbit onus probandi, cum ſit cauſa ſuę intentionis, maximè
* ſi miſerabili privilegio paupertatis vti velit, 35.
poſt gl. *in L. ſi verò §. qui pro rei, v. dubitetur ff. qui ſatisd. cog.* And. Gail. *1. obſer. 142. n. 5.* vide alia

alia exempla apud Menoch. *l. 6. præſumpt. 25. n. 15.16.17.*

Nec obſtant rationes dubitandi paulò ante adductæ. Ad primam Reſpondeo, etiam
36. * negativam probandam eſſe, ſi ſcilicet aliquis ſuper ea ſe fundet, vt ſupra oſtendi ex
37. Gail. *1. de P.P. c. 18. n. 14.* præſertim * ſi illa negativa habeat implicitam affirmativam, *c. ſuper hoc 5. extra de renũnc. c. 1. in f. ibi: non timore, extra de his quæ vi:* quemadmodum præſens noſtra habet; nam hoc ipſo, vt paulò ante quoq; dictum eſt, dum quis negat ſe amplius ſolvendo eſſe, implicitè & tacitè aſſerit, ſe facultates amiſiſſe, & ad inopiam reductum eſſe, vid. Nicola. Vigel. *method. juris controverſ. l. 2. c. 9. reg. 5. except. 5. & 6.*

Ad ſecundam Reſpondeo, actori quidem
38. probandam eſſe actionem, reo * autem exceptionem, *L. ſi pactum 9. ff. de probat. L. 12. ff. eod.* vnde dici ſolet, quod reus in exceptionibus fiat actor, *L. 1. ff. de exceptio: L. in exceptionibus 19. ff. de probatio.* Weſenb. *n. 6 ff. eod.*

Ad tertiam Reſpondeo primò, præſumptionem transferre quidem onus probandi in adverſarium, niſi æquè fortes pręſumptio-
39. nes ſtent pro adverſario, nam præſumptio * vna tollit & infringit aliam, *L. nuptura in f. ff. de jur. dot.* Rosbach. *prax. civil. tit. de præſumpt. num. 38. & ſeqq. id prax. crim. tit. eod. num. 26. & 27.*

& 27. Gail. *2.obſer.144.num.6.* Weſenb. *n.f.de prob.*: Schneid. *§.oſtendimus n.3.inſt.de ſuſpect. tut.* atqui jam ſæpè dixi, contra debitorem ſtare præſumptionem illam, quod ſemel dives & ſolvendo exiſtens adhuc præſumatur talis. Eſto igitur, quod in dubio præſumendus ſit aliquis * pauper, non dives, quando nō 40.
allegat tempus, (quod tamen ipſum non ſimpliciter admittit Menochius *n.14. loc.cit.* neq; Schneid. *§.item ſi quis n.58.inſt.d.actio*: vbi ait: homines neq; divites, neque pauperes præſumũtur; non pauperes, quia naturaliter induſtrij & laborioſi præſumptione juris ad acquirendum, *L.ſi defunctus C.arbit.Tut.* non divites, quia parta indies conſumuntur, neq; * 41.
enim de vento quis præſumitur vivere, *L.f.C. de alim.præſt.*) non tamen præſumitur depauperatus, aliud enim eſt pauperem eſſe, aliud ad paupertatem recens redactum.

Ad quartam Reſpondeo * doctrinam 42.
gloſſæ non ab omnibus eſſe receptam, quemadmodum Antonius Gabriel, *dict. concluſ.7. n.1.verſ. contrarium*, Maſcard. *concluſ.738.n.2.* plures alios in contrarium allegat. videatur etiam Covarru. *var.res.l.2. c.6. num.3.* vbi quatuor rationibus impugnat, & plures authores in contrarium allegat. Reſpondeo ſecundò, quamvis alij velint doctrinam illius gloſſæ in ſe eſſe veriſſimam, & in

judicando ſequendam, tamen limitant tunc tantum procedere, quando concurrit pro eo, qui aſſerit, aliqua præſumptio vel veriſimilis conjectura, Carocius *de excuſſ. bon. p. 2. q. 35. n. 10. & 13. vbi aliquas recenſet*, (prout concurrit *in d. L. f. §. licentia C. de jur: delib.* ex quo enim hæres inventarium ſolenniter fieri fecit, pro eo eſt præſumptio, quod in hæreditate plura bona non ſint) ſi autem nulla concurrat præſumptio, *nec conjectura ſaltem juridica*, per ipſum aſſerentem probari debere paupertatem, alioquin eâ non probatâ ad beneficium pauperibus conceſſum non admitti, Matth. Brun. *q. 25. n. 6.* Menoch. *l. 6. præſumpt. 26. n. 2. & 3.* Gabriel. *l. 1. concluſ. 7. n. 12. & 13.* Maſcard. *concluſ. 738. n. 3.* vide quæ notavi *inf. q. 5. n. 54. decad. 3. q. 10. n. 69. & ſeqq. decad. 4. q. 4.* Vnde
42. Reſpondeo * tertiò, quod ſi in noſtro propoſito debitor, qui depauperationem allegat, indicaſſet omnia ſua bona, vel paſſus fuiſſet excuſſionem, & diceret, ſe non habere, niſi à ſeipſo indicata, vel in excuſſione reperta, & præſtare inſuper vellet juramentum in Novell. 135. requiſitum, vtique ad beneficium illud admittendum, nec vlteriori probatione gravandum eſſe. Nam hoc ipſo ſatis probata videtur ejus paupertas ex eo, quod aſſerit ſe non habere, niſi tantum, &c. aliud dicendum, ſi ſe ſimpliciter vellet ſuper depauperatione
fun-

fundare,& pro fundamento beneficij conſequendi eam allegare,de quo potiſſimum cõcluſio mea procedit. Huc faciunt notata à Matth.de Afflictis *d.deciſ.377.n.3.verſ.ſed in contrarium*, & Matth.Brun. *d.q.25.n.4.* vbi *n.6.in f.* reſpondet *ad L.maritum*, quod vxor aſſerebat maritum plura habere bona, & divitem eſſe, vnde meritò ipſa tenebatur illud probare.

Neq; obſtat ſecundò,* quod ille qui allegat divitias,probare debeat, nam ad hoc Reſpondeo ſatis ſuperquè eſſe,ſi probet,jam ante divitem fuiſſe,quia indè ſequitur probatio ex pręſumptione,quod etiam hodie ſit dives, Menoch.*loc.cit.n.4.* Reſpondeo ſecundò creditorem non habere neceſſe, vt alleget debitoris ſui divitias, nam pro fundanda actione ſua ſufficit ei allegare creditum,quod ſi debitor reſtituere vel ſolvere detrectet, debebit privilegium aliquod allegare, & omnes conditiones,ſine quibus privilegium haberi non poteſt, legitimè probare, *vid.inf.decad. 4. quæſt. 4.* 43.

Neque obſtat tertiò * direptio & deprædatio illa vniverſalis, per quam plerique bonis ſuis à militibus ſpoliati & exuti ſunt, vnde præſumendum videtur, quod etiam debitor,contra quem agitur, illo ipſo infortunio tactus, depauperatus, & ad incitas redactus 44.

ſit; non inquam obſtat, quia hæc præſum-
45. ptio * non juris eſt, ſed hominis tantum, quæ tam efficax reg: non eſt, vt probationem vel inducat, vel in adverſarium reijciat Rosbach. *prax. civ. tit. d. præſumpt. n. 39. & 40.* Sunt quidem & fuerunt præteritis annis milites ad nummarium odorem ſagaciſſimi, R. P. Drexelius *de Eleemoſyna p. 1. c. 3. f. 47. §. 4.* atque ad inſtar canum venaticorum ferè neminem inexcuſſum, & perveſtigatum reliquerunt;
46. fuerunt * tamen pagani non nulli adeo providi, vt res ſuas pretioſiores vel abdendo in loca ſecretiora, vel transferendo in munitiores civitates ſalvârint, furorique & rapacitati talium accipitrum ſubtraxerint; fuerunt etiam, qui propriâ induſtriâ à tempore ſpoliationis damna perpeſſa penſârunt, denique non defuerunt, qui ipſimet (O nefandum ſcelus!) ſuorum concivium, vicinorum, vel amicorum, à lupis diſperſorum, habitationes ingreſſi ſubtraxerunt, quod illi reliquum fe-
47. cerunt, vt adeo * damnum communitati illatum non poſſit referri ad ſingulos, *argt. L. ſicut. 7 ff. ſi quid 1. vbi Dd. ff. quod cujuſq; univerſ.* & probatio ei incumbat, qui ſe malo illo tactum aſſeverat.

Hoc non difficulter conceſſerim, quod direptione civitatis probatâ facilius amiſſio rerum mobilium probetur, & conjecturis, Menoch,

Menoch. de præſumpt. *l.3. præſ.135. num.10.* vid. Afflict. *decis.13. num.9. v. ſecunda præſumptio.* ſed hoc ipſo, quia alijs conjecturis opus eſſe volunt, lignum eſt, quod direptio ſola non ſit ſufficiens, & juridica conjectura, *vid. inf. decad.4. q.4.*

Ex dictis infero & concludo: * ſi quis pri- 48.
vilegium ſeu beneficium aliquod calamitoſis debitoribus indultum pro ſui defenſione ſimpliciter alleget, eum depauperationem & calamitatem probare oportere. Neque id mirum cuiquam videatur, nam * cum de- 49.
bitores releventur in multis (vt hucuſque oſtendi, & paulò poſt vlterius oſtendam) cur iniquum ſit eos gravari in paucis, *argt. L. eum qui 30. in pr. vbi Dd. ff. de jurej.* Quemadmodum autem cauti & providi * advoca- 50.
ti facile reum ab hoc onere & moleſtia liberare, ita creditorum patroni, niſi bene attendant, & circumſpectè agant, pari facilitate ſuos clientes eidem gravamini poterunt ſubijcere, quod pro cautela eis volui hoc loco ſignificare, ut diſcant non niſi re benè meditatâ litem ingredi. *vid. inf. decad.4. q.4.*

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Quomodo probetur depauperatio?

SVMMARIA.

1. *Quæ probari nequeunt, pro non actis habentur.*
2. *Iuramento ſolo an probetur paupertas?*
3. *Ratio dubitandi.*
4. *Reſponſio negativa.*
5. *Perjurijs via non eſt aperienda.*
6. *Doctorum dicta ſunt intelligenda ſecundum leges, quas allegant.*
7. *Dubiorum ſolutio.*
8. *Iuramentum exigitur à calamitoſo debitore, poſtquam de calamitate conſtat.*
9. *Difficile eſt paupertatem probare.*
10. *Iudicis arbitrio relinquendum, quis depauperatus dici poſſit.*
11. *Iudex non ad vnam ſpeciem probationis applicare mentem ſuam, ſed ex varijs allegationibus animi ſui motum formare debet.*
12. *Arbitrium ſuum judex ex quibuſdam indicijs informare poteſt.*
13. *Teſtes an & quomodo probent paupertatem?*

14. Pau-

14. *Pauper non tantum is dicitur, qui non habet vnde vivat, ſed & ille, qui non habet, quomodo ſecundum dignitatem ſuam vivat.*

15. *Paupertas an prebetur per vicinos & conſanguineos?*

16. *Vicinus præſumitur ſcire res vicini ſui, & conjunctus res conjuncti.*

17. *Fama an probet paupertatem? ſi de parvo, ſecus ſi de magno agatur præjudicio. n. 18.*

19. *Evidens probatio quæ dicatur?*

20. *Excuſſio bonorum diligens probat paupertatem.*

21. *Suſpectus eſt, qui ſe vltrò offert, & ingerit.*

22. *Manifeſtæ turpitudinis eſt, nolle juramentum ſibi delatum præſtare, vel referre.*

23. *Mendicitas probat paupertatem.*

24. *Mendicare quam ſit difficile, oſtenditur exemplo.*

25. *Veſtes laceræ & ſqualidæ paupertatem probant.*

26. *Ex pileis quomodo paupertas, & divitiæ deprehendantur.*

27. *Collaria quando paupertatis & divitiarum ſint indicia.*

28. *Quando thoraces. 29. pallia. 30. caligæ. 31. tibialia. 32. faſciæ crurales. 33. calcei. 34. corrigiæ.*

35. Bel-

35. *Bellum germanam ſimplicitatem in veſtitu reduxit.*
36. *Germani veteres quomodo fuerint veſtiti? 38.*
37. *Luxus veſtium quantus poſtea introductus?*
39. *Quomodo per belli calamitates remiſſus?*
40. *Iudicia Domini recta.*
41. *Habitus mulierum immutatus vel venditus ſignificat mutationem fortunæ. & n. 44.*
42. *Mulierum genus ſuperbiſſimum.*
43. *Mulierum ornatus.*
45. *Temperantia in cibo & potu quando paupertatem probet?*
46. *Luxus conviviorum Germanicorum comparatus cum moderna temperantia.*
47. *Caput cœnæ. 48. medij convivij apparatus.*
49. *Secunda menſa.*
50. *Supellex menſaria.*
51. *Vini varietas.*
52. *Bellum temperantiam in cibo & potu reduxit.*
53. *Hactenus dicta in compendium trahuntur.*
54. *Aſſerens ſe tantum aliqua bona habere, & non plura, an ſufficienter probet paupertatem?*
55. *Modi probandæ paupertatis remiſſivè.*

Quan-

QVandoquidem ea, * quæ probari oſtendique nequeunt, pro non exiſtẽtibus habentur, *L. in lege 77. ff. de contrah. empt. argt. L. cum duo 17. in f. ff. de in diem addict. L. duo ſunt 30. ff. de teſtam. tut.* ideo debitori ſummopere neceſſarium eſt ſcire, quomodo indigentiam, & depauperationem debeat probare. 1.

Videri autem poſſet, quod ſolum ipſius * juramentum ſufficeret, per tradita Gailij 2.
1. obſ. 142. num. 6. ibi. vel juramento, Joann: Hermanni Stamm. *de ſerv. perſ. l. 1. c. 4. num. 26. p. 2.* & multò magis per text: *in d. Nov. 135.* ibi: jusjurandum per adoranda præbeat eloquia, quod nullam rerum causâ occaſionem, aut aurum reliquum habeat, vnde æris alieni ſupplementũ faciat. Quem * textum ad hoc 3.
inducit Julius Pacius in *Iſagog. ff. de ceſſ. bon. n. f.* quod Juſtinianus neceſſitatẽ carceris ſuſtinendi, vel bonis cedẽdi remiſerit ijs qui juraverint, ſe non eſſe ſolvendo, ſi non vitio ſuo, ſed adverſis caſibus ad inopiam redacti ſint. Ita quoq; Hotom. *q. 26.* dicit: Juſtinianũ ſtatuiſſe, vt debitores, *&c.* bonis cedere non cogantur, ſed poſteaquã jurârint, ſe nõ habere in bonis, vnde æs alienũ ſolvant, ab omni creditorũ moleſtia liberi ac ſoluti ſint. Verũ * ego 4.
puto ſolũ juram: debitoris in hoc negotio nõ ſufficere, vtpote nullâ ne ſemiplenâ probatione

tione præcedente, id enim valde periculoſum eſſet. Nam quis debitorum non juraret, vt ſe tali ratione à creditorum ſuorum actionibus & exactionibus liberaret? quot perjuria
5. * vno die fierent, quibus tamen via hoc modo non eſt aperienda. *c. cùm dilectus 6. extra. de his quæ vi: c. cum contingat, 28. extra de jurejur*: Neque puto Iulium Pacium vel Hotomannũ
6. in hac ſententia fuiſſe, eò quod Doctorum * dicta intelligenda ſint ſecundum leges, quas allegant; *argt. eorum, quæ notat.* Mynſ. *cent. 5. obſ. 61. n. 6.* Joan. And. *in c. cum nuncius circ. f. extra de teſt.* Card. Tuſch. *pract. concluſ. Lit. D.*
7. *concluſ. 554.* Leges * autem illæ, quas pro ſua opinione præfatus Iulius Pacius & Hotomannus adducunt, nimirum Nov. 4. c. vlt. & Nov. 135. non hoc dicunt, quod juramento probetur aliquem non eſſe ſolvendo, ſed hoc potiùs, quod is, qui ſolvendo eſſe deſijt, & per vim res ſuas amiſit, jurare debeat, ſe pro hic & nunc nihil, vel nullam occaſionem habere, vnde poſſit ſatisfacere, & ſi in futurum cõtingat aliquid acquiri, quod exinde velit ſol-
8. vere. Præſupponit igitur Imperator * & poſt eum, vt opinor, Pacius & Hotomannus, de hoc jam conſtare, quod aliquis non ſuo vitio, ſed adverſis fortunæ telis ad inopiam redactus ſit, quo caſu, neſcio quid ampliùs requiri fraudis evitandæ causâ poſſit, quàm vt juret, ſe me-

ſe medium nullum ſolvendi habere, & in futurum ſolvere velle; ſi ad pinguiorem fortunam contigerit pervenire. Videndum eſt igitur de alijs probandæ depauperationis modis, & argumentis. Quorum etſi varij varia congerant, fateri tamen omnes debent, ad-
modum * difficile eſſe certam ac definitam 9.
huiſce rei regulam conſtituere. Idcirco ſi ro-
gentur, quomodo probandum ſit, aliquem * 10.
depauperatum, vel ſolvendo eſſe deſijſſe, cõmuniter docent, illud ex diverſarum regionum; perſonarum, & temporum qualitate æſtimandum, ac proinde judicis arbitrio relinquendum eſſe. Menoch. *de arbit. jud. quæſt. l.2. caſ.65. n.8. cum ſeqq.* Gail. *1. obſer. 142. n. 7. ibi. illud obiter.* Mynſ. *cent. 4. obſer. 97. n. 10.* Ioan. Schneid. *pr. inſtit. quib. manum. non lic. n.12.* Joſephus Maſcard. *de probat. concluſ. 1154. num. 8.* Didac. Covarr. *var. reſolut. l.2. c. 6. n. 8.* Speckan. *cent. 1. q. 38.* Franciſc. Herculan. *in tract. ſuo de
prob. negat. n. 293.* qui * non ad vnam ſpeciem 11.
probationis applicare mentem ſuam; ſed ex varijs allegationibus, & alijs, quæ in ejus præſentia proponuntur, formare animi ſui motum debet, *L. teſtium 3. §. 2. ff. de teſtib. c. in præſentia 6. extra. de renunc.* & non tantum inſpicere, quantum habeat in bonis is, de cujus depauperatione agitur, ſed etiam, an ſit ſufficiens ad id, de quo agitur, Maſcard. *loc. cit.*

Speckan.*n.20.* Quamvis autem judicis arbitrio diſcerni oporteat, qui depauperati ſint,
12. tamen lubet ex Authoribus argumenta, * & indicia aliquot referre, ex quibus judex arbitrium ſuum informare, & quandam quaſi regulam arbitrandi accipere, videreque poſſit, quid in hac re conveniat eum arbitrari. Itaq; primò putant probari poſſe egeſtatem per te-
13. ſtes, * ſcilicet Titium habere tot bona, & nõ plura, adjectâ eâ ratione, quia ſi plura Titius haberet, teſtes hoc ſcirent, nec poſſent ignorare, inſpectâ peculiari & certâ ſcientiâ quam habent de ejus patrimonio. Ita in terminis Didac. Covarr. *var. reſolut. lib. 2. c. 6. n. 8. §. cæterùm*, Maſc. *de prob. lo. ci. n. 39*, vide Matth. Brun. *q. 6. quart. quæſt. princ. n. 7.* Speckan. *loc. cit. cent. 1. q. 38. n. 18.* Quo in caſu judici perſpiciendum eſt, vtrum ea bona, de quibus teſtes depoſuerunt, ſint talia, vt debitor ex ijs modicè vivere poſſit, habitâ ratione perſonarum, nam nõ
14. modò is pauper * dicitur, qui non habet, vnde vivat, ſed etiam is, qui non habet, quomodo ſecundum dignitatem ſuam, & gradum vivere poſſit, Maſcard. *loc. cit. n. 13. & 14.* qua de re pluribus agam infra *decad. 3. q. 3.*

15. Secundò volunt depauperationem, vel * paupertatem probari poſſe per vicinos, & conſanguineos, ſi ſcilicet eodem modo deponant, quo ſupra teſtes deponere debere dixi,

Gail.

Gail.*1.obſ.142.num.6,& 7.*Speckan.*loc.cit.n.10.* Maſcard.*loc.cit.n.23.& ſeqq.* eò quod * vicinus præſumatur ſcire res, & factum vicini. *c. quanto.de præſumpt.* Rosb.*prax.crim.c.4.tit.1. n.4.id.tit.5. c.8.in f.* & non ſit veriſimile, conjunctum facta conjuncti ignorare, *per L. octavi ff.vnde cognati.* Beneven.Strach. *in tract. ſuo de mercat.rub.de decoct p.4. num.7.* Verum quia hic caſus cum priore conincidit, illi diutiùs non immorabor. 16.

Tertiò volunt, id ipſum probari poſſe per * famam publicam, eò quod communiter dicatur, aliquem ſpoliatum, & omnibus bonis ſuis exutum eſſe, *argt. eorum, quæ tradit* Maſcard. *n.19.* Covarr.*loc.cit. n.8. §.item ſatis. ibi: ſatis probatur mariti paupertas per vulgi opinionem,* Carocius *de excuſſ. bon.p.2. q.35.n.10.* Eberhard.Speckan.*d.q.38.n.9.*Brun.*q.25.num. 7.* præſertim ſi fama eſſet conjuncta cum credulitate, id eſt cum ſcientia loquentium & atteſtantium, vt quia communiter idem dicunt, & credunt, & non tantum pauperem, ſed etiam manifeſtè pauperem aſſerunt, Speckan.*loc.cit.id.*Maſcard.*n.21.*qui licet *n.20.*tradat, per famam paupertatem plenè non probari, ſi agatur * de magno præjudicio, tamen in propoſito noſtro. vbi de exiguo præjudicio, hoc eſt, de inducijs tantùm, & dilatione ſolutionis, *per L.21.ff. de judicijs.* Matth.Brun. 17. 18.

in tract.de ceſſ.bon.q.22.n.2. id. q 26.pr. n.12. vid. ſupra decad.1. q.1. n.27. non omnimoda debiti remiſſione agitur, puto eatenus famam probare, ſi accedat jurisjur: adminiculum, per tradita Maſcardi *concluſ.737.num.5.* & debitor juret ſe ſolvendo ampliùs non eſſe, quâ ratione intelligendum eſſe puto, quod tradit Julius Pacius *Iſagog.in digeſt.n.f.de ceſſ.bon.* Et
19. quamvis * evidens requiratur probatio, *L. ſi conſtante ff. ſolut. mat.* tamen probationem notoriam; ſive evidentem eam eſſe judico, quæ juxta materiam ſubjectam ob difficultatem probationis, & ob modicam alterius læſionem ſufficiens ſit arbitrio judicantis, Covarru.*loc.cit. circa finem.*
20. Quartò probatur egeſtas * per diſcuſſionem bonorum mandato judicis factam. Maſcard.*n.34. id. concluſ.737. n.7.* Covarr.*n.8. §.item ſatis.* Speckan. *num.17.* Joan. Herman. Stamm.*de ſervit.perſ.lib.1. c.4. n. 26.* Carocius *loc.cit.* & hic modus haud dubiè cæteris omnibus adhuc recenſitis melior eſt, Angel.*in L. ſi verò §. qui pro rei ff. qui ſatiſd. cog.* modò hęc excuſſio ita fiat, vt diligēter inquiratur de omnibus bonis, Covarr.*loc.cit.* Hinc videmus hodie nonnullos vltrò ſe offerre ad excuſſionem iſtam, & dicere: viſitentur bona mea, & ſicubi repertus fuero ſolvendo eſſe, ſolvere non gravabor. Verum hi ipſi, ſicut & plerique

rique alij, qui ſe *vltrò offerunt, mihi aliquando ſuſpecti ſunt, *argt. L. quæ omnia 25. ff. de procurat*: cum facilè poſſint aurum, & argentum, quod habent, occultare, *argt. l. 2. §. quid enim C. quando, & quib. quarta pars*, vt adeo mihi non tam firma & plena videatur probatio hæc, quàm communiter reputatur, ſed ſemiplena tantum; non abs re igitur erit etiam à tali juramentum ſuppletorium exigere, quod ſi præſtare recuſet, *manifeſtæ turpitudinis, & fraudis ſe reum facit, *argt. L. manifeſtæ 38 ff. de jurejur.* 21.

22.

Quintò probatur depauperatio ex eo, *quod oſtiatim victum quæritat is, qui antehac non ſolebat, argumento Nov. 135. ibi: ad quotidiani vict⁹ inopiam adigatur. Maſcard. *n. 17.* Matth. Brun. *q. 25. princip. n. 10.* Speckan. *n. 8.* Caroc. *loc. cit. n. 14. vbi dicit non requiri in hoc aliquam excuſionem*, nec ſine ratione, nam cùm mendicitas aliquam ſaltem trahat ſecũ ignominiam, Greg. Tholoſ. *l. 22. c. 11. n. 8.* & non exiguam moleſtiam, non præſumendum eſt facilè, quòd malitioſè ſaccum circumferat ille, qui non conſuevit, & ex honeſta familia prodijt. Vidi *profectò ipſe cum magna commiſeratione, vnum alterumque antehac quidem locupletem, nunc autem in bello fortunis provolutum, vidi qui etſi alienâ indigerent miſericordiâ, tamen ingenuo 23. 24.

pudore à quærendo deterrebantur, vnde cum fama premerentur, ſtabant in principio in plateis publicis, fixis oculis aſpicientes illos, qui præterambulabant, atq; ipsa rugosâ facie præ ſe ferentes, quod deſiderarent, nec tamen audebant reluctante licet ſtomacho proloqui, deinde fame debilitati inſequebantur ditiores, & quaſi aliud agentes ſubmiſsâ voce muſſitantes ſtipem poſtulabant; cum autem nihil vel parum vt ſic ad famem depellẽdam conſequerentur, obire ceperunt domos, pulſare oſtia divitum, & panem precariò rogare, tandem mendicabulorum more omninò ad ſaccum ire. Quos autem cruciatus, & eſuries, & verecundia inprimis creaverint, eventus ipſe docuit, dum nimirum mors intempeſtiva vnum poſt alterum ſuſtulit.

Ad tales difficultates, & anguſtias non eſt credibile, quod propriâ quis voluntate, vel malitiâ, ſed argumentum planè efficax, quod rei nũmariæ difficultate pertrahatur. Quamvis putet Brun. *loc. cit.* per creditorem probari poſſe, eum non verè, ſed fictè oſtiatim ire mendicando, & loculos depoſitos, vel alias res habere.

Huic affine eſt ſextò, optimum planè, & vrgentiſſimum depauperationis argumen-
25. tum, ſi quis * diſcalceatus, ſqualidus, panniſque obſitus incedat, *argt. Novell. 135. ibi: nec non*

non amictus corporis inopiã deducatur. Maſcard. *loco ſæpe cit. n. 17.* & tritam mendici lacernulam, pertuſum Codri, aut Iri palliaſtrum, depexum pauperis ſcholaſtici centunculum gerat vno verbo, ſi malè indutus ſit, Brun. *q. 25. princip. num. 9.* Speckan. *n. 8.* Quod maximè verum eſſe puto in ijs, qui antehac ſerico amicti, auroque ornati ſuperbiebant. Et ſi ad ſpeciem nonnihil deſcendere volumus nunquid pauperes* dicemus illos, qui pileos nunc 26.
geſtant ſimplices, è vilibus condenſatos pilis, vix aptos vt capiti ſint contra pluviarum illapſum operimentum, & faciei adverſus ſolis ardorem vmbraculum? cum tamen antehac geſtarent, qui ex pilis confiebant nõ vaccinis, ſed fibrinis, non qui ex tomento, ſed ex ſerico, & holoſerico; ſi nunc ſine ſpiris, cum non ita pridem diadematibus & ſpiris bombycinis, ſericis, holoſericis, phyllis aureis, argenteis, gemmis, & margaritis nobiliſſimis, vndequaque exornatis, & mirè variegatis. Si nunc collaria * curta admodum, & è 27.
vili, levidenſique confecta linteo; cum antea è pretioſiſſimo conficerentur carbaſo, ac ſyndone, vlnam longitudine ſi non excedentia, tamen exęquantia; nunc volitantia, & pẽdula, olim vt eſſent validiora amylo, eoque vel candido, vel ceruleo, vel flacco colore infecto, roborata, ac ſolidata. Si globulos in-

28. *thoracibus vitreos, vel plumbeos, cum olim portarent, ſericos, argenteos, vel aureos. Si de
29. panno communi * pallia conficiunt, quæ antea de pretioſiſſimo, per limborum, ſegmentorumque aſſumentum conficiebantur. Si nunc pellem ſimpliciorem induant, cum olim exquiſitas vulpium, & murium ſylveſtrium pelles affectarent, &, vt cum Helmodo loquar, ad marturinam veſtem anhelarent, quaſi ad ſummam beatitudinem. Si
30. nunc *caligas non ampliùs ſciſſas, & fiſſas, 20. vel 30. vlnis materiæ ſcutulatæ vel Damaſcenæ in fiſſuris interſtinctas, ſi ex panno patrio & germano, cum olim ſorderet Britannicus, ſed vel ſerica ſolum, vel holoſerica, vel alia tantum materia pretioſa & peregrina, auro ſæpè & argento intertexta placeret. Si nunc
31. *tibialia lanea, vel linea, alba, vel nigra, cum olim vel ſerica, vel ſubſerica, eaque colore vel amethyſtino, vel janthino, vel thalaſſino, vel
32. purpureo, vel aureo. Si jam * faſciæ veluti vela in navib9 à ventis agitata, circa genua itantium non ampliùs volitent, neque ſericæ ampliùs, eæque phyllis vel ſericis, vel aureis in ſuperficie extima inſignitæ, ſed lineæ, lanéæve
33. tibijs annectantur. Si pedes ſuos velent * calceamentis, non jam amplius ex delicatiori illo corij genere, quod Juvenalis & alij alutam appellant, nec ex corio Cordubenſi, & villoſo ſerico,

ſerico,ſed ex pelle hædina conſutis,ſoleis non duplicatis,triplicatis, quadruplicatis, inprimis eâ parte,quæ calcem tegit, ſubere ſuffulciri ſolitâ,ſed ſimplicibus, & humilibus. Si * 34.
corrigias habeant non ſericas & diverſicolores,vel in morem roſæ concinnè conjunctas, ſed cannabeas,vel coriaceas;& vt paucis multa dicam,ſi habitus placeat patrius, diſpliceat Alamodicus,hoc verum indicium eſt, hominem talem mutatum ejuſque marſupium evacuatum eſſe. Planè ſi quid boni nobis * 35.
bellum attulit, hoc attulit, quod antiquam Germanam ſimplicitatem in veſtitu reduxit. Cornelius Tacitus, quem Probus Imperator in omnibus ſuis collocari bibliothecis juſſit, teſtatur, apud Germanos * veteres viris o- 36.
mnibus tegumen fuiſſe ſagum, fibulâ, aut ſi defuerit, ſpinâ conſertum: locupletiſſimos verò veſte ſtrictâ ſingulos artus exprimente vſos fuiſſe. Plinius auctor eſt, Germanorum veterum mulieres veſtem lineâ pulchriorem non noviſſe.

At quotuſquiſque * ſuperioribus annis 37.
Germanorum fuit, qui eam majorum noſtrorum in veſtitu ſimplicitatem imitaretur, qui frugalitatem æſtimaret, gravitatem aliquo loco haberet?omnia apud eos erant mollia,levia omnia,peregrina omnia. Quæ haud dubiè cauſa fuit, cur vbivis reſpublica rui-

nam minitaretur publicam, inq; pejus omnia quotidiè prolaberentur; nam leges & conſtituta veſtiaria rupta, fracta, reſciſſa omnia, & tam confuſum introductum chaos, vt ex veſtitu internoſcere neminem poſſes, cujuſque & regionis, & conditionis eſſet dignoſcere. Servus æmulabatur Dominum, ancilla heram, pagani civicos, civici nobiles, nobiles Principes, Principes Reges & Imperatores: nec certus eſſe poteras, vtrum in Germania Gallos videas, vel Italos, vel Britannos, vel Hiſpanos, vel Germanos. Phrygiones & Margaritarij vix rationem ſcire vllam poterant, novas inveniendi, & comminiſcendi formas. Ovium, & agnorum exuviæ deſpiciebantur; Ermelini, Gebelini, martes exquirebantur, & vulpes, vſq; adeò in veſtitu omni ab antiqua ſimplicitate diſcedebatur, atq; à priſca Germanorum frugalitate deflectebatur.

Sed nunc paulatim reditum eſt ad mores
38. majorum noſtrorum, qui, Tacito * notante, pelles geſsêre ferarum, quidam negligentiùs, quidam exquiſitiùs; id ipſum hoc tempore fieri ſolet, quo pelles iterum Germani induunt ſimplices, pro qualitate & nobilitate perſonarum viliores, vel pretioſiores. Ju-
39. cundiſſimum * eſt videre, quomodo nonnulli, qui ſe antehac omnibus oſtentabant, digitoque monſtrari volebant, nunc incedant

dant ſordido corio veſtiti, & loco pallij æruginoſo gladiolo cincti, quorum calcei non ex latere, ſed in cuſpide ſunt feneſtrati, qui ocreas frequenter gerunt, calcaribus adornatas, non vt equos (quorum nullos habent) in gyrum torqueant, ſed vt vilitatem tibialium tegant. *vid. decad. 3. q. 4. n. 152.* Juſto hæc omnia * juſtiſſimi DEI judicio eveniunt, vt, 40.
in quo quis peccat, in illo ipſo etiam puniatur. Poſſem pluribus hæc omnia deducere, ſi à propoſito longiùs vellem recedere, & oratorem magis quàm Juriſconſultum agere.

Idipſum autem quod de habitu * virorum 41.
ſic immutato dixi, ſignificare mutationem fortunæ, intelligas etiam velim de habitu mulierum, * quæ viris præripere palmam 42.
modis omnibus enixè ſtudent; neq; verò viris ſolùm, ſed & altera alteri, ſic vt luxu & ſuperbiâ inter ſe concertent. Quidquid enim inſuetum, quicquid inſolitum, quicquid exoticũ videtur, hoc certatim arripiunt, emunt, ſartori longis logis, ne in nova novæ rei factura aberret, commendant. Sinibus & plicis omnia debent eſſe contorta, & perplexa, vt plures fere in ijs reperire liceat, quàm in illo Cretenſi Labyrintho opere Dædaleo vias & errores.

Quare ſi videas, vel audias mulierem aliquam vendere * vittas crinales, reticula ca- 43.
pilla-

pillaria, frontalia, calanticas, caliptras, faſcias pectorales, mamillaria, multitia, patagia, tunicas, ſyrmata, ſandalia, crepidas, annulos, armillas, monilia, inaures, cingula, conchas, & ſimilia alia, quibus ſe mulierculæ noſtræ (volucres pennatæ) hactenus laſciviùs ornârunt, oſtentâruntque, certò tibi perſuaſum habeas, curtam valdè ſupellectilem ſupereſſe, credaſque firmiter, ad magnam eas angu-
44. ſtiam deveniſſe. Id enim * eis ſolenne eſt, quod citiùs vendant induſium, quàm annulum; citiùs eſuriant, quàm vt armillas diſtrahant.

Et hæc de ſexto depauperationis indicio, & argumento ſatis, cui non diſſimile eſt

Septimum, per quod non malè meo judicio egeſtas probatur, argumentum, ſcilicet
45. * temperantia in cibo, & potu; ſi nimirum is, qui ante paucos annos totus erat in patinis, & poculis, nunc ſobriè frugaliterque vivat; ſi is, qui fores occluſerat, ne combibones poſſent elabi, & recedere, nunc eaſdem claudat, ne accedant, & ingrediantur: qui hoſpites è longinquis civitatibus & caſtellis advocaverat, nunc eos à longè venientes conſpicatus feneſtras claudit, ne conſpiciatur, domeſticiſque ſuis imperat, vt rogantibus, vbi herus eorum ſit, reſpondeant, eum non domi, ſed pe-
46. regrè profectum abeſſe. Si ibi, * vbi intem-

peſti-

peſtiva, atq; immoderata viſebantur omnia
vbi fercula etiam vicena, ſed juxtà tripatina
apponebantur, nunc ternis, aut cum abun-
dantiſſimè ſenis cœna præbetur. Vbi caput
* cœnæ, non ampliùs ſunt capi altiles, caput 47.
ſuillum, imò aprugna muriatica jure nigro
condita, aut porcellus candens, qui ex pro-
muſcide malum eructat aureum, & ſuper quo
accenſus vini, vt vocant, ſpiritus cæruleum
diffundit ignem; ſed acetarium vili pretio
emptum, aut cum lautè vivitur, ova ſorbilia.
Vbi medio * videre licet convivio non tetra- 48.
ones, pavones, phaſianos, coxas aſſæ capræ
cum femoribus jure opiparè conditas: non
lumbulos bubulos aceto maceratos, atq; aſ-
ſos, lumbulos leporinos, atque ovillos; nulla
artocreata, non pernas infumatas, petaſones,
piſcium condituras, non artolaganos, pla-
centas, mureta, ſtrues, circulos, ſpiras; ſed vel
pultem avenaceam, offam, & ſi faveat cælum,
carnem bubulam, vel vaccinam; vbi nulla
ampliùs gulæ irritamenta, ſinapi, taleolæ co-
toneorum, betæ rufæ, radices, olivæ, ompha-
cia, & embammata; vbi in ſecundam * men- 49.
ſam adferuntur, non mellita cruſtula, buccel-
lata dulciaria, amygdala, nuclei pinei, ſemina
Coriandri, aniſi, & cumini ſaccharo incocta
atque oblita: ſed poma ſilveſtria, allia, caſei-
que vaccini fruſtillum. Vbi nitere * deſierunt 50.
ſtragu-

ſtragulæ menſariæ Alexandrinæ, mantelia vndulata; tum baſis, orbes, ſalina argentea cú flore ſalis; cultri, & fuſcinulæ cum manubrijs, raræ & viſendæ conſtructionis, cædes, & compunctiones, cochlearia argentea, inau-
51. rata. Vbi* vinum infunditur non Creticum, Falernum, Tergeſtinum, Corinthiacum, vel ex Canarijs adventitium, ſed patrium, non in poculis electrinis, gemmeis, aureis, argenteis, ſed vitreis. Vbi nulla ampliùs varietas vini Neccarici, Rhenenſis, & Alſatici in cellis reperitur, ſed obvium quodvis ex caupona petitur, non paratâ pecuniâ, ſed fide de pretio multis precibus exoratâ. Imò ampliùs vbi tantum vini integro menſe vix ebibitur, quantum olim vno die in terram effundebatur; quibus non Valtelinum, ſed vinum apponitur anſerinum, vel acida, ſi bene vivitur, cerevíſia. Hos credere licet calamitates belli ſenſiſſe, & ad inopiam protractos eſſe.

Atque ita in hoc quoque genere ad cor
52. redire docuit bellum, * & ad antiquam Germanorum temperantiam, qui Taciti ætate nec dum vllas plantaverant vineas; nec vina aliunde advexerant, ſed quibus, vt idem Tacitus refert, potui humor ex hordeo, aut frumento, in quandam ſimilitudinem vini corruptus, cibi etiam ſimplices, agreſtia poma, recens

recens fera, & lac concretum, ſine apparatu, ſine blandimentis, famem ſitimque expellebant. Planè audire licet non paucos illud frequenter ingeminantes: neſcieram antehac carnem bubulam ita delicatam, & cereviſiam ita bonam eſſe.

Vt igitur* hæc omnia quæ hactenus dixi 53.
in compendium traham, ita ſentio: ſi veſtimentorum mollities, ac peregrinitas; ſi ventris ingluvies, ac delitioſus conviviorum apparatus ceſſet, ſignum eſſe quod divitiæ quoque ceſsârint, ac proinde talem aliquem debitorem vlteriori probatione non multùm gravandum. Et hæc de ſeptimo indicio.

Octavò volunt aliqui probari paupertatem hoc modo: ſi quis* aſſeruerit, ſe tantùm 54.
bona aliqua, puta domum, vel fundum poſſidere; nam qui plura eum habere affirmaverit, probare debebit, Maſcard. *de prob. concluſ. 1154. num. 40.* Speckan. *loc. cit. num. 19.* quod an verum, hæcque probatio ſufficiens ſit, vid: pluribus apud Covarru. *var. reſolut. lib. 2. c. 6. num. 3.* Menoch. *de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 26. per tot.* Matth. de Afflict. *deciſ. 377. num. 2.* vide Vincent. Carocium *de excuſſ. bon. p. 2. q. 35. à n. 6. uſq; ad n. 14.* & quæ notavi ſupra *q. 4. n. 42. inf. decad. 3. q. 10. n. 69. & ſeqq. decad. 4. quæſt. 4.*

Alios

55. Alios etiam * modos probandæ pauper-tatis vide apud Maſcardum, *concluſ. 737.* vbi docet quomodo probetur, facultates alicujus non ſufficere ac debita exolvenda, & inter cætera refert ſe etiam ad librum æſtimi, inventarium, & bonorum æſtimationem confer Matth. Brun. *q. 25. num. 10. cum ſeqq.* Speckan. *d. q. 28. per tot.* Arnoldum de Reyger. *in ſuo theſauro lit. P num. 682. remiſſivè.* Franciſc. Herculan. *in tract. de proband. negat. n. 293.* Joann. Herm. Stamm. *de ſervit. perſ. l. 1. c. 4. n. 26.* Vincent. Caroc. *de excuſſ. bon. p. 2. q. 35. n. 15. & ſeqq.* vbi vndecim alia paupertatis indicia recenſet. Ego enim huic quæſtioni, quæ præter mentem meam in longius procrevit, finem impono, & ad propoſitum redeo.

QVÆSTIO VI.

Vtrum debitor, qui calamitate belli ad inopiam redactus fuit, poſſit bonis cedere, ſi velit?

SVMMARIA.

1. *Ratio ordinis.*
2. *Status quæſtionis.*
3. *Rationes dubitandi. Prima*

4. Ce-

4. *Cedens bonis omnia tenetur dimittere 5. usq; ad ſacculum & peram 6. & ultimum quadrantem 7. usque ad camiſiam & interulam, juxta aliquorum opinionem adhuc ulterius. num. 8.*

9. *Egeſtate perpetua ſordentibus mors eſt ſolatium, & vita ſupplicium.*

10. *Paupertas detrahit integritati & exiſtimationi perſonarum.*

11. *Non eſt audiendus perire feſtinans.*

12. *Ratio dub. ſecunda. Furioſis & fatuis interdicitur rerum adminiſtratio.*

13. *Prodigus facit furioſum quoad bona exitum.*

14. *Crudelis eſt, qui famam ſuam negligit.*

15. *Ceßio bonorum quam fœdis & ignominioſis modis in quibusdam locis fiat.*

16. *Ceßio acerba injurioſa & terribilis.*

17. *Ceßio etiam jure communi ignominiam irrogat, ſaltem facti, apud graves viros.*

18. *Ratio dub. tertia. Major 20. annis ad pretium participandum ſe venundare poterat.*

19. *Ratio cur Leo Imp. venditionem iſtam ſuſtulerit.*

20. *Eadem ratio ad ceßionem bonorum voluntariam traducta.*

21. *Ratio dub. quarta. Nemo ſanæ mentis præſumitur jactare ſuum.*

22. *Simplicitas nemini debet eſſe damnoſa.*

23. *Fragile & infirmum minorennium judicium tutelam prætoris meretur.*

24. *Ruſticitati aliquid indulgendum.*

25. *Potentioribus nobis pares eſſe non poſſumus.*

26. *Magiſtratus infirmiores à potentiorum oppreſſionibus tueri debet.*

27. *Potentiores patrocinium litigantibus præſtare non debent.*

28. *Alienatio judicij mutandi causâ quando prohibita.*

29. *Ratio dub. quinta. Creditorum major pars inducias debitori concedere poteſt.*

30. *Quidam deperditi homines malunt bonis cedere, quam commodare creditoribus ſuis.*

31. *Malitijs hominum non eſt indulgendum.*

32. *Ratio dub. ſexta. Debitores calamitoſi habent beneficium competentiæ.*

33. *Cedere bonis nequeunt, qui beneficium competentiæ habent, & quare? n. 34.*

35. *Ceſſio non admittitur, cum per aliud medium providetur.*

36. *Ratio dub. ſept. Cedens bonis voluntariè nocet toti familiæ ſuæ.*

37. *Necare videtur, qui alimenta denegat.*

38. *Divitiæ conſeruant dignitatem familiarum.*

39. *Reipubl. intereſt, ut dignitas familiarum ſalva ſit.*

40. *Ratio dub. octava. Ceſſionis beneficio an renunciare liceat?*

In

IN tribus * primis quæſtionibus hujus ſecundæ decadis ſatis, vt opinor, actum eſt de neceſſitate, vtrum videlicet cogi poſſit, vel neceſſe habeat calamitoſus debitor bonis ſuis cedere, & quando non; *vid. ſup. q. 1. n. 24.* nunc igitur ordinis ratio poſtulat, * vt agatur de voluntate, & illud examinetur: vtrum talis debitor vltrò & voluntariè ceſſionis remediũ apprehendere poſſit, nec ne? *vid. ſup. q. 3. n. 35. & 36.* 1. 2.

Rationes * dubitandi ſe offerunt tam ex parte debitoris, quam ex parte creditorum. 3.

Quantum enim ad debitorem attinet, videtur

Primò obſtare illud, quod talis aliquis, qui vltrò cedit, cum ſciat ſe ad ceſſionem vrgeri non poſſe, nihil aliud quærat, quam perniciem & interitum ſuum; nam * dimittere cogitur omnia ſua bona, jus Bavaric. *tit. 13. art. 6.* Weſenb. *in parat. n. 4. ff. de ceſſ. bon.* Covarru. *var. reſol. l. 2. c. 1. num. 5. verbo: is autem* Harprecht. *ad §. f. n. 3. inſtit. de act.* Laynman. *in tract. de reſtit. c. 12. n. 5 ff. alterum vid. inf. q. 9. n. 61.* & nihil ipſi relinquitur, ne denarius quidem, Gloſſ. *in L. fin. ff. quæ in fraud.* Schneid. *§. fin. n. 16. inſtit. de action.* Angel. Aretin. *§. fin. n. 6. eod.* Coler. *p. 1. c. 6. n. 122.* Brun. *q. 3. n. 9. id. q. 15. quart. quæſt. pr. n. fin.* exuendus * etenim venit vſque ad ſacculum & peram, Schneid. *loc. cit.* 4. 5.

Coler. *l.c.* Matth. Steph. *ad Nov. 135. n. 5.* Brun.
6. *q. 3. n. 9.* vſq; * ad vltimum quadrantem, Brun.
q. 3. n. 7. in f. Weſenb. *in parat. n. 4. de ceſſ. bon.*
adeo vt velint, ſi is retineat donarium, ceſſio
non valeat, Bald. *in L. f. qui bon. ced. poſſ.* & quod
7. ne veſtes quidem ei relinquantur, præter *
camiſiam & nuda pannicularia, veſtemque
quotidianam & vilem, Coler. *d. n. 122.* Schneid.
d. n. 16. Brun. *q. 3. n. 9.* eamque vnicam, Coler.
loc. cit. ne ſit carne nudus, Schneid. *loc. cit.* Co-
ler. *loc. cit.* & ſic ei vix dimittitur interula, Co-
8. ler. *d. n. 122.* imò excutitur ad ſubligar, * vt ait
Azo *in Summa C. qui bon. ced. verb. effectus au-
tem ceßionis, & poſt eum* Brun. *q. 3. n. 7. in f.* alii-
que quos refert Harprecht. *n. 28.* ita vt juxta
multorum opinionē nudus manere debeat,
quos citat Brun. *d. q. 3. n. 9.* & ſi quid relinqui-
tur alimentorum nomine, id non eſt conſtri-
ctum aliqua juris neceſſitate, ſed relictum
voluntariæ creditorum miſericordiæ, *L. qui
bonis v. ſi quid miſericordiæ ff. de ceſſ. bon.* We-
ſenb. *conſ. 50. n. 16.* quò fit, vt cedens deinceps
panem oſtiatim, aut manuum laborib⁹ quæ-
rere cogatur, niſi fama perire velit, Coler. *d. n.
122.* meritoq; in eum quadrare incipiat, quod
in L. quisquis. 5. §. filij 1. C. ad L. Iul. Maj. dicitur,
9. quod perpetua * egeſtate ſordenti ſit & mors
ſolatium, & vita ſupplicium, Matth. Brun.
q. 1. num. 3.

Cum

Cum itaque melius ſit mori, quam indigere (nam victum cogitans vitam non habet) Brun. *q.1.n.2.* & in multis juris articulis * pau- 10.
pertas detrahat integritati & exiſtimationi perſonarum, vt oſtendit Gregorius Tholoſ. *c.11.n.8.* Dubitare non ſine magna cauſa licet, vtrum ad ceſſionem admittendus ſit, nec ne, cum * non ſit audiendus perire feſtinans, *Dd.* 11.
ad L.1. §. Divus 5. & §. ſi quis 27. ff. de quaſtion. Mynſ. *cent.3.obſ.51.* Venat. *in anal. jur. pontif. tit. de confeſſ. in forma.* Greg. Tholoſ. *in ſyntag. p.3.l.22.c.15.n.3.*

Secundò fatuus & furioſus non poteſt liberè diſponere de rebus ſuis; * interdicitur 12.
enim eis adminiſtratio, ducique jubentur ad agnatos & gentiles. *per L. D. Marcus ff. de offic. præſid.* Mynſ. *§ furioſi 11. inſtit. de curato.* Atqui talis aliquis, qui cum non teneatur, cedit bonis, planè fatuus videtur, & ſi non furioſo, ſaltem prodigo ſimilis, tum quia ad inſtar prodigi facit * furioſum quoad bona exitum, 13.
per not. Weſenb. *n.3. ff. de curat. furioſ.* quemadmodum paulò ante vidimus; tum quia famam ſuam prodigit, & ignominiam vltrò ſibi accerſit, vnde ſibi ipſi injurius meritò cenſendus, juxta illud: * crudelis eſt, qui fa- 14.
mam ſuam negligit, *c. nolo 12. q.1.* Wurmſ. *l.1. obſ. tit.47. obſ.18. n.1.*

Notum etenim eſt, quam * fædis crudis & 15.

ignominioſis modis haberi ſoliti ſint, qui bonis ſuis cedunt, alibi enim in publicum traducuntur grege puerorum comitantium, qui inane marſupium geſtant, & id probri causâ: nonnulli eos in forum deductos & ſedere juſſos cophino ſuperinjecto cooperiunt, & eos qui hoc paſſi fuerunt, infames efficiunt; referente Covarr. *l.2.var.reſol.c.1.n.6.inf.* alibi in foro ſedere coguntur, & circumſtante plebe in os corbem accipere, Tholoſ. *c.11.n.11.*

In alijs locis moris eſt circumducere eum, qui cedere vult, per civitatem campanâ pulſatâ cum tubis & vituperio, vſq; ad locum, in quo cedit, Paul. de Caſtro *ad L. in omni. C. qui bon. ced.* Matth. Brun. *q.6. princ. n.5.* Lege Roſciâ decoctoribus bonorum obæratis quamvis fortunæ vitio, aut parentum, nec ſuo decoxiſſent, erat in theatro publicè ſeparatus ab omnibus locus 14. graduum in ludibrium, Tholoſ. *c.11. n. 9. & 10.* alibi cedentibus Zona ſolvitur, Gregor. Tholoſ. *c.8. num.5.* Gothof. *ad Nov.135. lit. m. v. Iusjurandum*: alibi ceſſio fit à debitore publicè poſteriora (ſalu: hon:) nuda oſtendendo, & dicendo: cedo bonis, Angel. *in d. L. in omni*, alibi remotis fæmoralibus culo lapis percutitur, vel columna, Guid. Pap. *quæſt.343.* Tholoſ. *d. c.11. n.9.* Menoch. *de arbit. jud. quæſt. cent.2. caſ.183. n.14.* Ioan. Herm. Stamm. *de ſervit. perſ. l.1. c.4. n.5. ff. ſanè* & teſtatur

tur Matth. Brun. *q. 6. princ. n. 5.* talem conſuetudinē eſſe in multis partibus Italiæ, præſertim Papiæ, Laudis, Arimini, item Lugduni, & Avenione. Amaltiſani linteamen & pecten habent, & eorum caput in terram ſedendo pectinant, dicendo: cedo bonis, Matth. Brun. *q. 6. princ. n. 2.* alibi in publico & notorio loco nudi incedunt, *id. num. 5.* alibi exuuntur vſque ad interulam, & ſic expoliati ad lapidem magnificum ducuntur: alibi debent ſub biretto crocei coloris incedere ſub pœna capitis, Brun. *loc. cit.*

Quæ cum ita ſint meritò * ceſſio dicitur 16.
acerba, injurioſa & terribilis, Matth. Brun. *q. 7. n. 2.* Imo ſepoſitis his omnibus quorundam ſtatutorum ignominioſis cedendi ſolennitatibus, vel potius turpitudinibus, etiam jure communi inſpecto * ceſſio ignominiam ir- 17
rogat, vnde Iuſtin. *in Nov. 135.* apertè ignominioſam bonorum venditionem appellat, Hotom. *q. 26. circa f.* Matth. Stephani *ad Nov. 135. n. 15.* atq; inter bonos & graves viros ſemper infamiam facti habet ceſſio, Weſenb. *n. fin. in parat. ff. de ceſs. bon.* Jul. Pac. *in Iſag. ff. eod. T. num. fin.* Brun. *q. 6. num. 4.* Tholoſ. *c. 11. num. 8.* vt rectè dicat Cicero pro Quintio cujus bona ex edicto poſſidentur, hujus omnis fama & exiſtimatio ſimul cum bonis ejus poſſidetur. Non tolerandum igitur vide-

tur,vt debitor calamitoſus vno quaſi momẽto cum fama ſua totam ſubſtantiam amittat, *argt.verſ.erat.inſtit. de ſucceſſ.ſublat.*

Tertiò: quamvis olim lege permiſſum e-
18. rat, vt homo * major 20. annis ad precium participandum ſe poſſet venundare, *§.ſervi aut naſcuntur, inſtit. de jur. perſon. L. ſi miniſte-*
19. *rium,ff.de liberal.cauſ.* tamen * Leo imp. eam „ legem, quæ hominem liberum, qui tam „ ignavi atq; abjecti animi eſt, vt libertatis „ dignitatem dedecore afficiens, quò execra- „ bile pro ſervitute perſolvendi pretij lucrum „ participet, ſuam ſervitutem mercetur, non „ caſtigat, neq; ſcelus illud corrigit, talem ju- „ dicat, quæ rectum Reip. ſtatum dedecent, „ neque auctoritatem & efficaciam accipere „ debent. *Nov. Leon.59.* additq; rationem: „ quia dementiam firmam eſſe permittit, ne- „ que everſâ indignâ illâ mercaturâ hos, qui „ per inſipientiam talia faciunt, competenti- „ bus pœnis ſubijcit, & paulò poſt ſic pergit: „ ſi enim quod pater filijs eſt, id idem leges „ civibus eſſe oportet, vt in hoc vnum, quod „ illis conducat ac ſalutare ſit, collimet, quo- „ modo hanc legem, quæ tantum incommo- „ dum atq; damnum incumbere ijs, qui per „ dementiam in id ſe conjecerunt, ſinit, legi- „ bus annumerari æquum eſt? Hanc itaque „ nos legibus excerptam in exilium mitten-

tes

„ tes ſancimus, vt ſi quis ita demens ſit, vt li-
„ bertatem ſervitute commutans ſeipſum
„ vendat, ne is contractus validus ſit, ſed ever-
„ tatur, & ſimul ipſe libertatis ſuæ proditor,
„ ſimul is, qui cum ipſo id facinus deſignavit,
„ verberibus caſtigetur, nihiloque minus ve-
„ ſaniæ mancipio libertas in priſtino ſuo ſta-
„ tu ſervetur.

Quæ ratio * movit Imp. Leonem, vt illam libertatis ſuę vel venditionem, vel proditionē aboleret, eadem ipſa movere deberet magiſtratus modernos, vt ceſſionem iſtam, vel prodigalitatem bonorum potius, & proditionem famæ impedirent, pœniſque debitis eos coercerent, qui contra aliquid attentare auderent; planè enim ignavi atque abjecti animi ſunt, qui omnia ſua bona ſponte abijciunt, qui malunt perpetuò egentes & pauperes, quam in facultatibus, potius infamiâ notari, quam in honore poſiti eſſe: vt adeo non debeat talis dementia firma manere, ſed vel ex commiſeratione vel ex indignatione illi, qui per inſipientiam talia faciunt, repelli. Pro confirmatione horum facit 20.

Quartò: cum nemo * ſanæ mentis videatur velle jactare ſuum, *L. cum de indebito 25. §. qui enim in f. ff. de probat.* præſumendum eſt, quod talis aliquis, qui vltrò bonis cedere cupit, faciat illud vel ex ſimplicitate & ruſtici- 21.

tate, vel ob creditorum ſuorum, forte potentiorum, importunitatem; atqui neutrum ex his permittendum: non primum, quia ſim-
22. plicitas * nemini debet eſſe damnoſa Weſenb. *n. 3. ff. de dol. mal.* quemadmodum igitur prætor naturalem æquitatem ſecutus tu-
23. telam minorum ſuſcepit, cum intelligeret, * fragile & infirmum eſſe hujuſmodi ætatis conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum, multorumque inſidijs expoſitum, *L. 1. in princ. ff. de minor.* Ita deberent judices moderni hac in parte ſuſcipere curam ſimpliciorum, & ruſticorum, qui vel ob ſuam facilitatem, vel creditorum calliditatem facilè poſſunt lædi. *argt. L. quod ſi minor. 24. §. 1. & 2. ff. d. T.* præſertim cum ab antiquis legibus, & à di-
24. verſis principibus ſemper * ruſticitati conſultum ſit, *text. in L. fin. C. de teſtam. L. 2. ff. ſi quis in jus vocat. L. ſi quis 7. §. 4. ff. de juriſdict.* Weſenb. *n. 8. C. de edend. id. n. 2. ff. ſi quis in jus vocat.* Schneid. *n. 15. inſtit. de teſtam. ord. rub: de teſt. ſol.* Sed nec tolerandum

Secundum: nam cum aliqui creditorum valde ſint importuni, atq; aliquando etiam
25. * potentes, quibus proinde pares eſſe nõ poſſunt debitores, *argt. L. 3. in princ. ff. de alien. jud. mut. cauſ.* facile eveniret, vt metu poteſtatis vel dignitatis placere ſibi dicerent, quod tamen diſplicet, & bonis cederent, quæ ſibi reſerva-

ſervare & diutius poſſidere mallent; itaque magiſtratui * incumbere videtur, vt infir- 26.
miores à potentiorum oppreſſionibus tueatur atq; defendat, quemadmodum frequenter in jure ſolet fieri, vt cum prohibentur * 27.
potentiores patrocinium litigantib⁹ præſtare, vel actiones in ſe transferre. *tot. T. C. ne liceat potentioribus &c.* item * res litigioſas ju- 28.
dicij mutandi causâ âlienare, cum alteruter litigantium potentiorem adverſarium conſtituit, *L. 3. & T. 1. ff. de alien. jud. mut. cauſ.* & ſimilibus alijs in caſibus.

Præterquam autem quod parum admodum conſulatur debitoribus per bonorum ceſſionem, Coler. *p. 1. c. n. 122.* inſuper

Quintò ipſorum quoque creditorum intereſſe poteſt, ne facile ad ceſſionem admittantur debitores. Nam ſi creditores * omnes 29.
(vel magna eorum pars) inducias concedant, vel miſericordiâ ducti, vel eâ ſpe freti, quod debitor ad ſe, & pinguiorē fortunam aliquando reverſus, ſibi ſuisque neceſſaria quærere, & in ſolidum ipſis ſatisfacere queat (quod facere eos poſſe infra videbimus, vid. Joann. Herm. Stamm. *de ſerv. perſ. c. 4. lib. 1. n. 30.*) nunquid plus quam iniquũ eſſet, hoc in caſu, eum debitorē, qui vix vni alteriq; ſatisfacere poteſt, bona dimittere, ſeq; quotidianis alimentis, & creditores ſuis creditis defraudare? & ta-

men

30. men ſunt plerique * deperditi homines, qui malunt bonis cedere, vbi forte non cogerentur, quam commodare creditoribus, Mynſ. §.
31. *cum eo.n.7.inſtit.de action.* quorum malitijs * haud dubiè non eſt indulgendum, ſed modis omnibus occurrendum. *argt.c.ſedes 15. extra de reſcript. §. ſed etſi. inſtit. de obligat. quæ ex delict.*

32. Sextò: Illi qui calamitate * belli bonis ſuis fuerunt exuti, habent beneficium, vt non teneantur, niſi in quantum facere poſſunt, vt docet Mynſ. *§.fin.n.5. inſtit.de action.* & ego *infra decad.3.* peculiari quæſtione ſecunda fuſius examinabo; tales autem perſonæ, quæ
33. beneficium competentiæ habent, bonis * cedere non poſſunt, quia ceſſat ratio ceſſionis, ſcilicet detruſio in carcerem, Schneid. *ibid. num. 11.* cum igitur nos verſemur in illis terminis, & loquamur de perſonis ſic bonis ſuis ſpoliatis, videri poſſet, quod beneficium ceſſionis quoad eos omninò locum non haberet.

Quo faciũt ea, quæ notavi ſupra *q.1. ratione 9.n.123.cũ ſeqq.* vbi multis exemplis in mediũ adductis ex Matth.Brun.oſtendi, eum nõ cedere bonis, qui habet beneficium competentiæ. Quod in tantum apud ipſum verum eſt, vt quoties quærit, an aliquis admittatur ad ceſſionem bonorum, ſemper disjunctionem

iſtam

iſtam faciat, interrogando: an verò beneficium habeat, vt non damnetur, niſi in quantum facere poteſt? vt videre licet *in q. 2. in princ. q. 22. in princ q. 24. in princ. q. 26. n. 1. q. 27. n. 1.* Ergo hoc ipſo * ſupponit, quod ſi quis be- 34.
neficium competentiæ habeat, cedere non poſſit. Concordat Joan. Fab. *ad d. §. fin. num. 9.* vbi quærit: quid ergo dices de illis, qui non conveniuntur, niſi in quantum facere poſſunt, nunquid cedere poſſunt? & reſpondet credo quod non, per rationem: quod non
admittitur * ceſſio, cum per aliud remedium 35.
providetur *vid. q. 1. n. 19. & ſeqq.* Adſtipulatur Joan. de Plat. *ibid. n. 17.*

Septimò: is qui contemnit * beneficium 36.
Novell. 135. & vltrò bonis cedit, non ſibi tantum nocet, ſed liberis quoque ſuis, & vxori, quibus ille alimenta debet. Nam ſi beneficiũ competentiæ allegaret, tantum ei relinquendum eſſet, quantum pro congrua ſui & ſuorũ ſuſtentatione neceſſarium eſt, quemadmodum dicam in decad. 3. atqui ſi bonis cedit, juxta communem ſententiam neq; ei, neque
liberis quicquam relinquitur, quos tamen * 37.
occidere videtur, ſi non alat, *L. necare ff. de l. b. agnoſ.* & proinde quamvis ſui causâ quis indign9 ſit, qui juvetur beneficio, movere tamen debent judicem iſtæ illi tam conjunctæ, & ferè inſeparabiles perſonæ, vt earum causâ

vel

vel illius miſereatur, & ceſſionem non permittat. Ita ferè argumentatur Tholoſ. *c. 15.*
38. *num. 3.* Accedit, quod per * divitias conſervetur familiarum dignitas & honeſtas, quæ ob earum inopiam perit, Matth. Brun. *q. 1.*
39. *num. 4.* Reip. * autem intereſt, vt dignitas familiarum ſalva ſit, *argt. L. 1. §. ſed etſi 13. ff. de vent. inſpici.*

Octavò: Debitor non poteſt renunciare
40. * beneficio ceſſionis, Covarr. *var. reſol. l. 2. c. 1. num. 7. verſ. Tertiò animadvertendum* Schneid. § *fin. num. 13. inſtit. de action.* Bart. *conſ. 116. num. 2.* Sichard. *ad auth. imò à debito C. de O. & A. num. 5.* Menoch. *de arbit. jud. quæſt. cent. 2. caſ. 183. num. 18.* Joan. Herm. Stamm. *de ſervit. perſ. l. 1. c. 4. num. 16.* vid. ſup. *decad 1. quæſt. 4. num. 43.* Tholoſ. *c. 15. per tot.* vbi plurimas rationes in vtramq; partem recenſet, Matth. Brun. *quæſt. princ. 20. per tot.* Nec tacitè nec expreſsè, Dornſperg. *in ſyntagm. jur. l. 2. p. 2. c. 5. num. 3. in f.* Et quamvis aliqui dicant, ſaltem accedente juramento valere, Schneid. *loc. cit.* Covarr. *loc. cit.* Brun. *loc. cit. num. 10.* Tamen alij ſimpliciter etiam in hoc caſu negant, Tholoſ. *loc. cit. num. 3. & 6. circa f.* Menoch. *d. num. 18.*

Ergo videtur, quod etiam nō poſſit renunciare beneficio
Nov: 135.

SVMMARIA.

41. *Cedere bonis poſſunt, qui calamitatibus belli fuerunt depauperati.*

42. *Ratio decid. prima. Ceſsio bonorum eſt de genere permiſſorum.*

43. *Quisquis non reperitur expreſſè prohibitus, cenſetur admiſſus.*

44. *Ratio decid. ſecunda. Beneficium à jure indultum non eſt alicui auferendum.*

45. *Ceſsio bonorum eſt beneficium flebile & aſylum vltimum.*

46. *Ratio decid. tertia. Mercator naufragium paſſus cedere bonis poteſt.*

47. *Æquiparantur infortunium belli & naufragij.*

48. *Ratio decid. quarta. Volenti non fit injuria.*

49. *Damnum quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi & non alijs debet imputare.*

50. *Ratio decid. quinta. Quilibet favori pro ſe introducto renunciare poteſt, an indiſtinctè? num. 52.*

51. *Imputet ſibi, qui ſprevit beneficium, quo juvari potuiſſet.*

52. *Ratio decid. ſexta. Coactionis prohibitio non impedit actum voluntarium.*

53. *Incluſio vnius eſt excluſio alterius. & qui negat de vno contrariorum, de altero affirmare videtur.*

54. Ra-

54. *Ratio decid. ſept. Venditio ſui ipſius fiebat aliquando cum judicio.*

55. *Sicut & voluntaria bonorum ceßio.*

56. *Ratio decid. octava. Multi cedere ſponte queunt, qui tamen ad cedendum cogi nequeunt.*

57. *Ad ceßionem nemo cogendus, vltrò tamen admittendus.*

58. *Quod debet fieri ex voluntate, non eſt imponendum ex neceßitate.*

ET hæ ſunt breviter in hoc argumento dubitandi rationes, quibus tamen non attentis, juri conformis videtur

41. Aſſertio: * quod regulariter loquendo etjam bonis cedere poſſint ij, qui calamitatibus belli fuerunt depauperati, ſi tamen rationabili cauſa moti ad hoc proceſſerint.

42. Ratio decidendi Prima eſt hæc: quia * ceſſio bonorum eſt de genere permiſſorum, & cuilibet indulgetur, niſi ſpeciatim prohibeatur, Mynſ. §. *fin. num. 7. inſtit. de action.* Schneid. *num. 4.* Harprecht. *num. 4. & num. 7. §. fin. inſtit. de action.* Weſenb. *in parat. num. 3. circa fin. ff. de ceſſ. bon.* Jul. Pac. *in Iſag. eod. T. num. 2.* Brun. *q. 4. n. 1.* Greg. Tholoſ. *c. 9. p. 3. Syntagm. n. 1.* atqui illi, qui infortunio belli facultatibus fue-
43. runt lapſi, * non reperiuntur ſpeciatim prohibiti,

hibiti, ergo cenſentur admiſſi, *argt.l.1 ff.de teſt.c.cum apud.23.extra ſponſal.L.mutus.43.ff. de procurat.L.cum præter 12.ff.de judicijs.*

Ratio ſecunda: * beneficium à jure indultum non eſt alicui auferendum, vel denegandum, *c.indultum 17.de R. I.in 6.c.fin.extra de ſecundis nuptijs.* atqui ceſſio * bonorum eſt beneficium juris, Weſenb.*loc.cit.n.3.* & quidem beneficium vel adjutorium flebile. *L.pen.C. qui bon.ced.poſſ.* Mynſ.*loc.cit.n.16.* Menoch.*loc. ſup.cit.n.11.* ad quod debitores omni deſtituti auxilio velut ad ſacram anchoram confugere ſolent, id. Mynſ.*ibid.in princ.* ergo non debet his, qui propter rationabilem cauſam appetunt auferri vel denegari, vide Brun, *q.10. quart, quæſt.princ.* 44. 45.

Ratio tertia: ad ceſſionem bonorum * admittitur mercator, qui naufragiũ paſſus fuit, ſive generaliter, qui fortunæ vitio decoxit, vt loquitur Benevenut.Strach.*in tract.ſuo de mercator.rub.de decoct.p.vlt.n.3. id.ead.rub. p.3.n. 21.* ergo admittendus eſt is quoque, qui calamitate belli bonis fuit provolutus: æquiparantur * enim infortunium belli, incendij & naufragij, Mynſ.*§.fin.n.5.inſtit.de action.L.1.§. merito 2.ff.depoſiti.* 46. 47.

Ratio quarta: cauſa, cur ſupra dixerim, invitos tales non poſſe cogi ad ceſſionem bonorum, erat inter potiores iſta: quia hoc cala-

 mito-

mitoſum eſſet & injurioſum, *vid. ſupra q. 1. ratione 2. 3. & 4.* atqui * volenti non fit injuria,
48. *c. ſcienti 27. de R. I. in 6. L. nemo 145. ff. de R. I. L. 1.*
49. *§. vſq; adeo ff. de injur.* Itaque ſi quod * damnũ, & ſi quam injuriam ex vltronea ceſſione incurrit, ſibi & non alijs imputare debet, *argt. c. damnum 86. de R. I. in 6.*

Ratio quinta: beneficium Nov: 135. ne quis cogatur bonis cedere &c. introductum fuit in favorem debitorum (ſicut & bonorum ceſſio, Brun. *de ceſſ. bon. q. 14. n. 3.*) vt debitoribus inopia laborantib⁹, qui alioquin miris cruciatibus à creditoribus afficiebantur,
50. ſuccurſum eſſet, Menoch. *loc. cit. n. 1.* atqui * favori pro ſe introducto quilibet renunciare poteſt, *L. ſi quis 29. C. de pact. L. ſi judex 41. de minor. c. ſtatuimus 23. extra de regular.* nec cedens poteſt conqueri, ſi deinde lædatur, ſibi
51. enim * imputare debet, qui beneficium ſprevit, quo juvari potuiſſet, *§. ſi plures 4. v. ſed ſi inſtit. de fidejuſſ.* Neq; obſtat, ſi cum Tholoſ. *c. 15. num. 4.* dicas: renunciationem non eſſe permiſſam, quando lex eam vetat, vel quando privilegium, cui renunciatur, plures tangit; atqui hic legem vetare, ne audiatur, qui ſponte perire vult; & privilegium hoc non tantum renunciantem, ſed etiam vxorem & liberos reſpicere, nam ad ea omnia reſpondebitur infra in ſolutione argumentorum, præſertim primi & ſeptimi.

Ra-

Ratio ſexta: ipſa conſtitutio Nov. 135. illud tantum prohibet, vt ne aliquis * *per vim* 52.
ad ignominioſam vitam tranſponatur, & ceſſionis bonorum *neceſſitas* imponatur, vt videre licet ex verbis d. Nov. Ergo tacitè permittit, vt ſi aliquis ſponte velit, bonis cedere poſſit, nam * incluſio vnius eſt excluſio alterius, *argt. L. cum prætor 12. ff. de judicijs. L. cum ita 63. ff. de condit. & demonſt.* & qui negat de vno contrariorum, de altero affirmare videtur, *c. nonne 5. ext. de præſumpt.* 53.

Ratio ſeptima: quemadmodum antiquitus ij, qui ſe ad pretium participandum * venundari paſſi ſunt, illud aliquando faciebant cum judicio, quia videbatur ipſis magis expediens, herum habere & ſervire, quam in perpetua mendicitate laborare, Oſterm. *ad §. ſervi autem. inſtit. de jur. perſon.* ita non ſine ratione * malunt aliqui ſubſtantiam ſuam dimittere, quam perpetuis & importunis creditorum exactionibus ſubjacere, & ita frequenter exigi ac divexari, & potius bonis cedere, quam (in ſpeciem ſaltem) gravius quid pati, Weſenb. *n. 3. ff. de ceſſ. bon.* 54. 55.

Ratio octava: multi * alij ad ceſſionem co- 56.
gi nequeunt, & tamē cedere poſſunt, ſi volunt, v.g. Clerici & perſonæ Eccleſiaſticæ, Tholoſ. *c. 9. n. 4. 5.* Matth. Brun. *q. 8. quart. quæſt princ. n. 2.* idipſum permiſſum Eccleſiæ, & univer-

ſitati cuilibet, Tholoſ. *ibid. n. 9.* Socin. *reg. 65. ampl. 3.* Menoch. *loc. cit. n. 13. & 29.* Schneid. *§. fin. n. 4.* de quo ampliùs infra *in ſolution. arg. 6. n. 144.* cur ergo non pariter permitteretur calamitoſis, de quib⁹ nunc ſermo eſt, debitoribus, infortunio belli exinanitis? Vt itaque tandem

Concludam, & hactenus dicta in compen-
57. dium traham, neminem * quidem puto cogendum, vt cedat bonis ſuis, cedere tamen
58. poſſe, ſi velit, neq; * enim eſt imponendum ex neceſſitate, quod poteſt fieri ex voluntate, *argt. L. ſolent. 6. vbi Bart. in prin. ff. de off. proconſ.* Weſenb. *num. 7. C. de recept. arbit.*

SVMMARIA.

59. Reſp. ad prim: rat. dub. Quilibet rerum ſuarum moderator eſt & arbiter.

60. Donatio vniverſorum bonorum an permiſſa?

61. Donare nihil aliud eſt quam perdere.

62. Abuſus rei ſuæ cuilibet eſt permiſſus.

63. Non exemplis, ſed legibus judicandum.

64. Inſpiciendum non quid fiat, ſed quid fieri debeat.

65. Cedenti bonis veſtes ſunt relinquendæ, ſicut & condemnatis ad mortem relinquuntur.

66. Cedenti an alimenta relinquenda? an inſtru-

ſtrumenta neceſſaria ad quærendum victum? num.

67. Audiendus non eſt perire feſtinans, quo ſenſu?

68. Nemo eſt Dominus vitæ & membrorum ſuorum.

69. Ceßionarius quænam retineat? an vſumfruct. 70.

70. Vſusfructus cum proprietate conſolidatur.

71. Reſp. ad ſecund. rat. dub. Ceßio bonorum ſpontanea cum judicio fieri poteſt.

72. Oſtenditur exemplo. & n. 87.

73. Senectus venerabilis, & quiete digna, per ſeipſam oneroſa & languida. n. 74.

75. Senectus excuſat à muneribus municipalibus.

76. Invidiæ non eſt locus dandus.

77. Audiendus non eſt, qui incommodare cupit alteri, ſibi non commodando. & n. 79.

78. Audiendus non eſt, qui poſcit operas, quas ætas recuſat, vel infirmitas corporis non patitur.

80. Ruſtici multi ſumptus non habent pro colendis agris ſuis.

81. Difficultas in conquirendis pecunijs vnde?

82. Bellum omnes fere æquales fecit.

83. Mutuare pecunias cur hoc tempore difficile?

84. Nummus eſt fideiuſſor futuræ neceßitatis.

85. Prudentum virginum dictum.

86. *Impotentia efficit, vt quis cedendo bonis excuſetur, etiam in eo, qui ad factum tenetur.*

88. *Modus cedendi ignominioſus à juris ſcripti humanitate abhorret.*

89. *Statuta inducentia turpem cedendi modū non valent, & quare n.90.*

91. *Beneficium pernitioſius eſſe non debet, quā ipſa cauſa, cui accedit, & à qua liberat.*

92. *Carcer non irrogat infamiam.*

93. *Afflicto non debet addi afflictio.*

94. *Admodum grave eſt, vilitatem rei familiaris detegi.*

95. *Calamitoſi debitores bonis cedere poſſunt, non ſecundum præſcriptum irrationabilium conſuetudinum, ſed juris communis.*

96. *Ceßio ſolo verbo vel voluntatis declaratione fieri poteſt. 97. tam in judicio, quam extra jud. 98. tam viva voce inter præſentes, quam in ſcriptis inter abſentes.*

99. *Ceßio infamiam juris non irrogat 100. & cedentes tanquam infames non rejiciuntur.*

101. *Ceßio modernorum calamitoſorum debitorum an infamiam facti poſt ſe trahat?*

102. *Reſp. ad rat. dub. tertiam. Differentia inter venditionem ſui ipſius & ceßionem bonorum.*

103. *Nemo eſt Dominus ſui ipſius.*

104. *Quilibet rerum ſuarum moderator eſt & arbiter.*

105. Cor-

105. *Corpus ſuum nemo conventionibus obligare poteſt.*

106. *Dominij proprius effectus eſt, vt res alienari poſſit.*

107. *Liber homo non eſt in commercio, ſicut res & bona ejus.*

108. *Liberi hominis venditio non ſubſiſtit.*

109. *Contractus contra legum interdicta validus non eſt.*

110. *Prohibitio facta à lege rem afficit, & dominij translationem impedit.*

111. *In venditione debet intercedere certum pretium.*

112. *Libertas eſt inæſtimabilis.*

113. *Nimia inæqualitas vitiat contractus.*

114. *Pretij quo ſervi vendebantur vilitas.*

115. *Libertatis infinita æſtimatio eſt.*

116. *Finiti ad infinitum nulla proportio.*

117. *Libertatem vendens libertatis dignitatem dedecore afficit.*

118. *Venditio ſui ipſius quare olim valuerit?*

119. *Libertatem vendens damnum irrecuperabile incurrit.*

120. *Cedens bonis de novo acquirere poteſt.*

121. *Domino jus vitæ & necis in ſervum competebat.*

122. *Domino licet in ſervum ſævire, ſed non ſupra modum.*

123. *Triſte omen eſt ſervitutem vel adverſam hominis liberi fortunam expectare. n. 179.*

124. *Servi jumentis & mortuis in jure æquiparantur.*

125. *A ſeparatis mala ſit illatio.*

126. *Stultus eſt, qui temerè bonis cedit.*

127. *Reſp. ad quart. dub. rat. Quilibet præſumitur ſanæ mentis. 128. & diligens in curandis conſervandiſq; rebus ſuis.*

129. *Nemo præſumitur cedere ex ſimplicitate ſua, vel ob ſuorum creditorum importunitatem.*

130. *Delictum non eſt præſumendum.*

131. *Multæ rationabiles cauſæ ad ceſsionem movere poſſunt.*

132. *Ex his forte, quæ vno caſu accidere poſſunt, jura non conſtituuntur.*

133. *Iudex cauſam ceſsionis in calamitoſis debitoribus exquirere debet.*

134. *Reip. intereſt, ne quis re ſua abutatur.*

135. *Iudex ceſsionem ad importunam creditorum inſtantiam factam impediet, quemadmodum eam, quæ ſit ex ſimplicitate debitorum n. 131*

136. *Reip. intereſt neminem indefenſum relinqui.*

137. *Reſp. ad quint. dub. rat. Iudex impedire debet ceſsionem temerè & malitioſè à debitoribus factam.*

138. In-

138. *Infirmitas non calliditas auxilium ſumit.*

139. *Mulier decipiendi animo pro aliquo intercedens caret beneficio. S.C. Vellejani.*

140. *Minori non datur reſtitutio in integrum, ſi ſe majorem dixerit.*

141. *Tunc ſuccurrendum eſt, cum quis defenditur, non vt faciliùs calumnietur.*

142. *Reſp. ad rat. dub. ſext. Cauſa adæquata ceßionis non eſt ſola incarceratio.*

143. *Cedere bonis poſſunt, etiam qui incarcerari nequeunt.*

144. *Mulier, & Eccleſia cedere poſſunt.*

145. *Cauſa finalis ceßionis etiam hæc eſt, vt debitor à moleſtijs creditorum liberetur.*

146. *Poſſunt ejusdem rei plures eſſe fines.*

147. *Ceſſante vnâ causâ ex pluribus non ſtatim ceſſat diſpoſitio.*

148. *Vbi plura obſtant, vno ſublato reliqua non tolluntur.*

149. *Competentiæ beneficium efficit, vt debitor non opus habeat beneficio ceßionis, eo tamen vti poßit, ſi velit.*

150. *Beneficium antiquum amplecti licet neglecto novo & n. 152. 159.*

151. *Exemplum in beneficio inventarij & deliberationis.*

153. *Invito beneficium non datur.*

154. *Liberum eſt cuilibet explorare, an expediat ſibi beneficium.*

155. *Varij ſunt affectus hominum.*
156. *Non omnibus omnia conveniunt.*
157. *Beneficium competentiæ liberat ab extrema inopia, ſed non à moleſtijs creditorum.*
158. *Commodum eſt habere plura remedia, quorum vno repudiato ſupereſt alterum.*
160. *Reſp. ad arg. ſept.*
161. *Incarceratio nec creditori nec debitori prodeſt, & quare magis bonorum ceſſio? & num. 171.*
162. *Cedens bonis quotidie pro familiæ ſuæ ſuſtentatione aliquid acquirere poteſt.*
163. *Ceßioni bonorum & executioni quæ non ſubjaceant?*
164. *Iudex quando ceßionem impedire poßit propter cedentis vxorem & liberos?*
165. *Familiarum conſervatio minùs principaliter tantum intereſſe reip. reſpicit.*
166. *In executionibus familiarum non habetur magno ratio.*
167. *Reſp. ad argt. octavum.*
168. *Ceßioni bonorum an renunciare liceat, controverſa eſt quæſtio.*
169. *Ratio cur facilius beneficio Novell: 135. quã beneficio ceßionis liceat renunciare.*
170. *Renunciatio ceßionis tendit ad incarcerationem.*
172. *Renunciatio Nov. 135. tantum ad bonorum dimißionem.*

173. Quod

173. *Quod differtur, non aufertur.*
174. *Cedens bonis non liberatur obligatione.*
175. *Renunciatio ceſſionis repugnat ordini executionis à D.Pio præſcripto.*
176. *Renunciatio Nov:135. non item.*
177. *Renunciatio generalis omnium beneficiorum juris non extenditur ad beneficium Nov: 135. neq; ad beneficium ceſſionis.n.178.*
180. *Renunciatio valida eſt rebus manentibus in eodem ſtatu.*

AD primam rationem dubitandi Reſp. cum quilibet *rerum ſuarum 59.
moderator ſit & arbiter, *L. in re mandatâ 31. C. mandati*, non apparet, cur non poſſit debitor bona ſua vniverſa dimittere, cum tamen cæteris paribus poſſit aliquis vniverſa ſua bona alteri *donare, text. 60.
expreſſ. *in L. ſi quis 35. ff. ſed & ſi quis 4. C. de donat.* Joan. Harpr. *in add. ad Iul. clar. ff. donatio. q.19 & in ff. aliæ autem 2. inſt. de donat.* Schneid. *de donat. rub. quæ res donari, &c. num. 86. & ſeq.* & donare *aliud nihil ſit, quam perdere, *L.* 61.
7. in princ. ff. de donat. Weſenb. *num. 3. C. ſi adverſ. donat.* Et ſi abuſus *rei ſuæ cuilibet eſt cô- 62.
ceſſ9, *L. ſed et ſi lege 25. §. conſuluit 11. ff. de pet. hæred.* cur non ſimiliter & vſus? Quod in contrarium allatum fuit de debitore vſque ad vltimum

mum quadrantem, & vſque ad interulam vel ſubligaculum exuendum, *vid. decad. 2. q. 1. n. 75. & n. 76.* id facile concedo in aliquibus locis
63. ſervari; verùm quia * non exemplis, ſed legibus judicandum, *L. nemo 13. C. de ſent. & in-*
64. *terlocut* & * magis ſpectandum, quid fieri debeat, quam quid ab alijs factum ſit, *L. ſed licet.*
65. *12. ff. de off. præſid.* ideo non puto * eò vſq; deveniendum. Nam quod veſtes viliores & quotidianæ cedentibus ſint relinquendæ, nullum apud eos dubium eſt, qui humanitatis aliquam rationem habent, eò quod tales veſtes etiam condemnatis ad mortem relinquantur, *L. Divus 6 ff. de bon. damn.* Schneid. *n. 16. §. fin. inſtit. de action.* Brun. *q. 3. n. 9. de ceſſ. bon.* Covarr. *var. reſol. c. 1. l. 2. n. 5. verſ. ii autem. vid. ſup. decad. 2. q. 1. n. 78.*

66. Imò docent * Canoniſtæ, quod etiam alimenta ſint ei relinquenda, Brun. *q. 3. n. 9.* quod licet pleriqúe de jure civili non admittant, niſi in bonis poſt ceſſionem quæſitis, *per text. in L. qui bonis ff. de ceſſ. bon.* tamen Dn. Harpr. *d. n. 28. § fin. inſt. de action.* æquiorem & humaniorem laudat ſententiam exiſtimantiū, debitori cedenti aliquid victûs gratia relinquendum eſſe. Imò videmus paſſim in Germania inſtrumenta neceſſaria ad quærendū victum, & quæ pertinent ad artem, ex qua victum quærit, cedentibus dimitti, de quo

etiam

etiam Covarr. *loc. cit.* Soarez. *commun. opin. lit. C. num. 38.*

Quod denique dictum eſt, non eſſe * au- 67.
diendum eum, qui perire feſtinat, id intelligendum eſt in eo caſu, quo quis feſtinat ad perditionem vitæ & corporis ſui, (cujus * do- 68.
minus non eſt, *L. liber homo 13. ff. ad L. Aquil. L. ſi quis 38. §. fin. ff. de pœnis L. omne delictum 6. §. qui ſe 7. ff. de re milit.*) quemadmodum colligere licet ex allegatis textibus, præſertim *ex L. 1. §. Divus 5. & §. ſi quis 27. ff. de quæſt. L non tantum. 6. ff. de appellat.* ſecus ſi quis feſtinet tantum ad perditionem bonorum, quorum ſine controverſia Dominus eſt; imò bona non perdit, qui creditoribus ſuis ſatisfacit.

Deinde etſi * ceſſionarius perderet vt ſic 69.
bona omnia, in quibus plenum & abſolutum dominium habet, tamen poteſt retinere res à teſtatore alienari prohibitas, item & vſumfructum, & feuda & emphytevſin Eccleſiaſticam, etiam repugnantibus creditoribus, *vid. ſuq. q. 1. n. 92. & inf. hac quæſt. n. 162. item q. 8. n. 69.* quandoquidem ipſorum non intereſt, quia per hoc non gravantur vllo modo. Quamvis enim debitor hujuſcemodi res non retineret, nullum tamen ex his emolumentum ad creditores pervenire poſſet, Mynſ. §. *fin. num. 20. inſtit. de action.* Schneid. *ibid. n. 16.* vſusfructus * enim cum proprietate conſoli- 70.
daretur,

daretur, *argt. §. finitur. inſtit. de vſuf.* in feudo autem & emphyteuſi rediret vtile dominium ad dominum directum, vel ad proximos agnatos. Sed quod de vſuf. Doctores dicunt, id jus Bavaric. *d.T.13, art.6. ibi*: auch Nutznieſſungen non admittit, neque Greg. Tholoſ. *c.8. p.3. num 9.* per Rationem: quia vſufructuarius vſum f. quamdiu vixerit, in alium transferre poteſt, reſoluto tamen jure dantis, & jus accipientis reſolvitur.

Ad ſecundam dubitandi rationem Reſp.
71. Primo: facilè fieri poſſe, vt aliquis * cum judicio & plena deliberatione ad ceſſionem
72. procedat, ponamus enim exemp. * causa ruſticum aliquem ſenio, laboribus, & miſerijs omninò confectum, nihil ferè aliud poſſidere, quam agros ſuos, eoſq; ab aliquot annis incultos, ære autem alieno ita oppreſſum, vt ſi creditoribus ſatisfacere vellet, ne medietati quidem ſolvendæ pretium agrorum præſertim juxta modernam æſtimationem, ſufficeret. Quid hic facient creditores? vrgebuntne bonum ruſticum ad opus & culturam? atqui ætas ejus labores non amplius patitur, inſuper quinque, ſex & amplius anni abibunt, quoad agri ad culturam reducantur, citiuſq; ſuæ vitæ periodum ruſticus abſolvet, quam ſolvet. Invidebuntne ipſi quietem, quâ fortaſſis frui poſſet apud cognatos & amicos, vel apud

apud proprios liberos? Siccine in ſudore vultûs cum abbreviatione vitæ ſuæ panem quærere debebit, quem gratis à benefactoribus habere poſſet? durum id eſt, *vid. inf. q. 7. n. 31.* & ab omni humanitate alienum, ſenectutem, (quæ * venerabilis eſt & quiete digna, 73.
L. ſemper 5. ff. de jure immunit. & per ſeipſam onerosa * & languida, multas afferens infir- 74.
mitates & adverſitates, nec dolores & labores ferre poteſt, *c. magnæ 7. v. verum ætatū. extra de voto*) non præſtare excuſationem à duris iſtis gravibuſque laboribus, cum tamen præſtare ſoleat à ſubeundis * muneribus muni- 75.
cipalibus, *L. ſemper. 5 ff. de jur. immunit. L. 2. §. 8. ff. de decurion.* Schneid. §. *item major. inſtit. de excuſ. tut.* Weſenb. *n. 3. ff. de excuſ. & vacat. mun.* durum inquam eſt, * invidiæ locū dari, 76.
cont. §. vn. inſtit. de L. Fuſ. Cān. toll. creditoreſq; *audiri, qui nihil aliud quærunt, quam vt in- 77.
commodent alteri, ſibi autem per hoc non commodant, *cont. L. pro voluptarijs 9. ff. de impenſ. in res dot. fac.* & poſcunt * operas, quas vel 78.
ætas recuſat, vel infirmitas corporis non patitur, *L. nec audiendus 17. ff. de oper. lib.* cum tamē *malitijs hominum non ſic indulgendum, 79.
vt cuiquam ſine ſuo commodo alijs officere liceat, *L. in fundo 38. ff. de rei vendic.*

Quibus illud accedit, quod talis aliquis ruſticus, etiam adhuc robuſtus & vegetus, (quo-

(quorum tamen alicubi paucos reperire &
videre eſt, nam plerique omnes mortuis ma-
gis, quam vivis ſimiles apparent) eouſq; bel-
li calamitatibus adactus ſit, vt forte ſumptus
80. *non habeat ad comparandos equos, ad con-
ducendos ſervos, eoſque alendos, ad inſtru-
menta ruſtica coemenda, ſine quorum mi-
niſterio nihil in cultura agrorum efficiet vel
proficiet, quid huic igitur conſilij dabis, im-
81. plicabitne ſe novis debitis? At *nemo ferme
eſt, qui alterum juvare poſſit, pecuniaſq; ſub-
miniſtrare *vid. ſup. q 2. n. 28. inf. q. 7. n. 31. q. 9. n.*
82. *139.* (bellum namq; *æquales ferme omnes
fecit, loculoſque ſingulorum bene excuſſit)
vel ſi quis ſuperfuerit, nemo tamen erit, qui
83. mutuum *dare velit, partim quia videt diffi-
cultatem in recuperandis & recipiendis an-
tiquis ſuis creditis; non vult igitur novas ſi-
bimet ipſi creare moleſtias: partim quia co-
gitat poſſe ſupervenire ſimilia iterum mala,
in eum itaque inopinatum eventum ſibi pro-
ſpiciendum putat, vt ſi nova tempeſtas & ne-
ceſſitas ingruat, nūmos in promptu habeat,
84. eſt enim *nummus fidejuſſor ſeu ſponſor fu-
turæ neceſſitatis, *L. ſi eborum. 79. §. 1. de leg. 3.* &
ex inimicis amicos reddit, vnde indigi homi-
nes mutuum petentes frequenter hodie re-
pulſam patiuntur, atque amicorum quoque
auxilio deſtituti illud prudentum Virginum
dictum

dictum paſſim audire coguntur: * ne forte 85.
deficiat nobis & vobis, ite potius, & alibi vobis comparate.

Quare cum * impotentia efficiat, vt quis 86.
cedendo bonis excuſetur, etiam in eo, qui ad factum tenetur, ſi factum explere non poſſit, & ſumptus creditores ſubminiſtrare nolint, *per trad.* Mynſ. *§. cum eo. n.12. inſtit. de action. vid. inf. q. 8. n. 15. & 16. quæſt. 7. n. 34. & ſeqq.* quis vitio vertet alicui debitori, ſi cum nullum aliunde ſubſidium expectare poſſit, bona ſua creditoribus dimittat? poteſt enim rationabiliter ita ſecum diſcurrere: * Si ad meliora- 87.
tionem prædia ſolâ induſtriâ meâ reducere volo, tot & tot annis indigeo, interea temporis ingentes labores ſuſtinere, moleſtias graviſſimas exantlare, famem ſitimque pati debebo, donec fructus producant, quibus apparentibus aderunt creditores me amoventes, atq; laborum meorum fructus cum reliquis meis bonis inter ſe dividentes; malo igitur nunc in tempore currere, & fortunam meam alibi experiri, quam poſtea operam ſimul cum prædijs perdere. Quid in foro conſcientiæ permiſſum ſit, Theologi viderint. *vid. inf. q. 7. n. 22. decad. 1. q. 9. n. f.*

Quod attinet * ad ignominioſum ceden- 88.
di modum, eſt ille quidem in multis locis receptus, ſed parum laudabilis, & à juris ſcripti

humanitate abhorret, Weſenb. *in parat. n.5.*
89. *ff. de ceſſ. bon.* vnde dicunt non valere * ſtatuta, vt cedens bonis ducatur tubis per plateam, vel nudus ſedeat ſuper lapidem, Joan. Herm. Stamm. *de ſerv. perſ. l.1. c.4. n.5. ff. ſanè.* Schneid. *§. fin. n.14. inſtit. de action.* vid. *decad. 1. q.9. n.21.*
90. quia ſunt * contra bonos mores, & res eſt turpis, & mali exempli, & oculi videntium infeſtantur, Brun. *de ceſſ. bon. q.6. princ. num. 6.* & creditoribus nihil per hoc vtilitatis accreſcit, Brun. *loc. cit.* vnde ipſe Juſtin: in Nov: *135.* ignominioſam ceſſionem ſuſtulit, neque ſi-
91. ne ratione: quia vt ſæpe dictum ceſſio * bonorum eſt beneficium quoddam, in favorem debitorum ad hoc inductum, vt carceres evitentur: atqui ſi ceſſio fieret cum ignominia, beneficium pernitioſius foret, quam ipſa cauſa, cui accedit, & à qua liberat, nempe incarceratio, quæ non infamat. Nec enim ideo
92. infamis quis eſt, quod in * carcerem ſit conjectus, vel cui vincula ſunt juſſu judicis injecta, *per L. 1. C. ex quib. cauſ. inf. irrog.* niſi ob pœnam explorati criminis id fiat, *L. nullam C. eod.* Greg. Tholoſ. *c.11. n.5.* vbi *n.6.* aliam ra-
93. tionem ſubjungit: quia afflicto * non debet addi afflictio, *per vulg.* atqui is, qui cedit bonis, ex ipſa confeſſione paupertatis ſatis &
94. abundè affligi videtur, quia * admodum grave eſt, vilitatem rei familiaris detegi, *L. 2. §. 1.*
ff. quan-

ff.quando & quibus quarta pars. Ergo aliâ infamiæ notâ non eſt gravandus.

Quando itaque dico calamitoſos * debitores poſſe beneficio Nov.135. renunciare, & bonis ſuis cedere, intelligo ceſſionem talem, non quæ ſecundum irrationabiles conſuetudines, ſed quæ à jure communi præſcribitur, ſecundum quod * nulla ſolemnitas aut ritus exigitur, Harprecht. *§.fin. n.3.inſtit.de action.* ſed ſolo verbo, vel ſolâ voluntatis profeſſione perficitur, *L.in omni 6. C.qui bon. ced.* Weſenb.*in parat.n.6.ff.de ceſſ.bon.* Schneid. *num.14.§.fin.inſtit.de action.* Matth.Brun.*q.6. princ.n.6.* Joan.Herm.Stamm.*loc.cit.n.5.ff. ſanè.* tam * in judicio, quam extra judicium, tam inter præſentes quam inter abſentes, tam * vivâ voce, quam in ſcriptis, per nuncium, vel epiſtolam, *L.fin.ff.de ceſſ.bon.* Weſenb.*loc.cit.* Schneid.*loc.cit.* Harpr. *§.fin.inſtit. de action.num.3.* Tholoſ.*c.11.num.4.* Mynſ.*d.§. fin.num.6.*

95.
96.
97.
98.

Ad infamiam quod attinet, in confeſſo eſt apud omnes, quod jure civili ceſſio * exiſtimationem non notet, & quod de jure communi, qui bonis cedunt, non fiant infames infamiâ juris, *per L.1. & L.fin.ibi: ſalva eorum exiſtimatione, vbi Gloſſ. C.qui bon.ced.* Brun.*in tract.de ceß.bon. q.6. num.3.* Weſenb. *n.f.ff.de ceſſ.bon.* Matth.Stephani.*ad Nov.135.*

99.

n.5.id. n.15.per L.11. C.in quib. cauſ. infam. irrog. vid.ſup.q.2.n.88.vid.q.9.n.7. cum ſeqq. cum beneficium juris ſit. Greg. Tholoſ. *c.11.n.5. id. c.8. n.3. & 6.* vnde idem *n.13.*

100. Infert: in his negotijs, in quibus * infames alioquin reijciuntur, eos qui calamitate & infortunijs in paupertatē inciderunt, & bonis ceſſerunt, non reijci tanquam infames.

Et quamvis dicant, * cedentes notari ſal-
101. tem infamiâ facti apud probos & honeſtos viros, per Nov. *4.c.3.* & Nov. *135.* Weſenb. *in princ. num. 5. ff. de ceſſ. bon.* Greg. Tholoſ. *c.11. n.8.* & alij ſupra allegati, *vid. ſup. q.2. n.87.* tamen ceſſio hoc præſertim calamitoſo tempore, quo commune malum omnes tetigit, famæ cedentis non adeo multum nocebit, viri enim honeſti & probi cum aliquo tali potius commiſerationem habebunt, quam vt ſiniſtram ſuſpicionem concipiant, vel imminutionem exiſtimationis eum pati ſinant.

Ad tertiam dubitandi rationem Reſp.
102. magnum eſſe diſcrimen * inter venditionem ſui ipſius, & ceſſionem bonorum ſuorum.
103. Nam primò * nemo eſt dominus ſui ipſius, & ſuorum membrorum, *L. liber homo 13. ff. ad L. Aquil.* Card. Tuſch. *commun. concluſ. pract. lit. H. concluſ. 153.* nullam vim liber homo in corpus ſuum, nullum velle, dominationem nullam habet, *per L. 1. ff. usq; adeo ff. de injur.*

L.71.

L.71.ff.2.ff.de condit.& demonſt. Joan. Herm. Stamm. *loc.cit.n.11.* Sed rerum & bonorum ſuorum * quilibet dominus eſt & arbiter, *L.* 104.
in re mandata.31. C.mandati. Card. Tuſch. *concluſ.pract.lit.A.concluſ.258.& lit.D.concluſ.486.*
Hinc ſecundò * corpus ſuum nemo conven- 105.
tionibus obligare poteſt, Weſenb. *n.3.ff.de ceſſ.bon.* vbi dicit eſſe prohibitum, vt propter debitum civile vinculorum, ſervitutis, & carceris injurias patiatur: Stamm, *loc.cit.num.16.* res autem ſuas quilibet alienare, & reg: obligare poteſt, eſt enim dominij * proprius fru- 106.
ctus & effectus, vt res alienari poſſit & obligari, *L. fructus 72.ff.de R.I. argt.L.pen.in f.ff.de pact.* Weſenb.*n.1.ff.de fund.dot.* In idem fere recidit Tertiò: quod bona noſtra ſint in commercio hominum, liber * autem homo in 107.
commercio nō ſit, *§.fin.inſtit.de empt.& vend.*
vnde * venditio hominis liberi regulariter 108.
non ſubſiſtit, *L.& liberi 4.L.5.& 6. L. ſi in emptione 34.§. liberum hominem 2.L.liberi hominis 70.ff.de contrah.empt.* Vnde deducitur quartò: quod is, qui libertatem vendit, vel hominem liberum emit, contra legum interdicta mercetur & contrahat, vnde mirum non eſt, quod
is * contractus non ſit validus, *Nov: Leonis 59.* 109.
circa f. quia prohibitio * facta à lege rem affi- 110.
cit, & dominij translationē impedit, Gail. *2. obſ.16.n.7.* Steinhauſ. *in parat. C. de reb.al.non*
 alien.

alien. at bonorum ceſſio prohibita non eſt, ſed beneficij loco conceſſa, *tt.ff. de ceſſ. bon. &*
111. *tt.C.qui bonis ced.* Quintò: in* venditione debet intercedere certa rei æſtimatio & pretium, *§.pretium inſtit. de empt. & vend.* atqui
112. libertas appretiari nequit, * cum ſit inæſtimabilis, *L.libertas 106.ff.de R.I.* Ergo venditio libertatis non ſubſiſtit, & eſt defectus in ſubſtantialibus contractûs emptionis & venditionis, quorum ſimile nihil reperitur in
113. ceſſione bonorum. Sextò: nimia * inæqualitas vitiat contractus, *argt.tt.C.de reſcind. vend.* atqui inter pretium, quo liber homo ſe venundari patitur, & libertatem eſt nimia in-
114. æqualitas, quia * pretium, quo ſervi emebantur, modicum erat & vile, *L.3.in pr.C.comm.*
115. *de legat.* libertatis * autem infinita eſt æſtimatio, *L.non eſt ſingulis 176.ff.de R.I.* conſequen-
116. ter nulla finiti * ad infinitũ proportio, *argt. L.ſed ſi filiusfam.114.§.ſed ſi liberos 8.ff. de legat.* hinc Imp. Leo, illud valde improbat. *Nov. 59.* quod talis aliquis improbus mercator execrabile pro ſervitute perſolvendi pretij lucrum participet. Septimò: qui bonis cedit, ſibi potiſſimum nocet, & ſi quam injuriam facit, ſi-
117. bi eam facit, non alteri: ſed qui * libertatem vendit, libertatis dignitatem dedecore & injuriâ afficit, *Nov: Leon: 59.* vnde puto antiqui-
118. tùs illam venditionem * valuiſſe, non propter volun-

voluntatem & conſenſum hominis, ſed propter auctoritatem legis, improbum hoc factum punientis, adeoque pœnæ loco valuiſſe. Nam libertate indignus eſt, qui tantam ei ignominiam inuſſit, vt liberum arbitrium, quod per eam habebat, vili pretio venderet, Theoph. *ad §. ſervi autem. inſtit. de jure perſon.* confer notata à Greg. Tholoſ. *p. 3. l. 22. c. 15. n. 4.*
Octavò: qui libertatem *vendit, damnum 119
irrecuperabile incurrit, quod vult dicere Imp. Leo *d. Nov. 59.* in verbis: quomodo tantum „ incommodum atque damnum incumbere ſinit ijs, qui per dementiam in id ſe conjecerunt, &c. non enim eluctari facile poteſt ſuâ ſponte & induſtriâ, ſeque in priſtinam
libertatem recipere; is autem qui bonis * ce- 120
dit, poteſt de novo vel ſuâ induſtriâ bona acquirere, *L. ſi defunctus 10. C. arbit. tut.* vel ex donatione amicorũ, aut hæreditate conſanguineorum aliquid comparare, *Nov: 135. §. præterea ſi qua.* Nonò: qui bonis cedit, fere nihil aliud quam paupertatem petitur; at qui libertatem vendit, inque ſervitutem redigitur, ille indigna patitur, maximiſque periculis expo-
nitur: conſtat enim dominis * jus vitæ ne- 121.
ciſq; in ſervos conceſſum eſſe, *§. in poteſtate, inſtit. de his qui ſui vel alien. jur.* & quamvis vinculis legum civilium rurſus hæc poteſtas concluſa ſit, ita vt occidere impunè nõ liceat ſer-

122. vos *d.* §. tamen licet * adhuc in eos ſævire, dummodo non ſupra modum, *ibid.* & vel leviter pulſare, vel etiam ob cauſam occidere, *per L. qui ſervum. de V.O.* Mynſ. *d. §. in poteſtate n. 2.* vt taceam alios præduræ ſervitutis effectus, quos adeo terribiles judicant leges, vt
123. ſtatuant, * triſte omen eſſe, ſervitutem expectare, & neque naturale neque civile, adverſam talem hominis liberi fortunam ſperare, *L. inter ſtipulantem 83. §. ſacram. 5. §. ſed hæc. de V.O. L. 34. §. omnium 2. ff. de contrah. empt.* nec
124. ſine cauſâ, cum ſervi * in jure jumetis & quadrupedibus, *prin. inſtit. de L. Aquil.* & ipſis etjam mortuis comparentur, ſimileſq; habeantur, *L. quod attinet 32. ff. de R. I.*

Ex quibus apparet, multas cauſas fuiſſe, cur Leo Imp. abrogaverit legem, quæ hominem liberum ſe vendere permittebat, *Nov. 59.* quarum pręcipuas etſi non manifeſtè expreſſit, obſcurè tamen indicavit; ac proinde cum ſimiles in noſtro propoſito non reperiantur, maximum diſcrimen eſſe inter bonorum ceſſionem & libertatis venditionem, vt non
125. rectè ab vno ad aliud, tanquam cauſis valde * ſeparatis, liceat argumentum ducere, *argt. L. inter ſtipulantem 83. §. ſacram. v. ſed hæc diſsimilia ſunt, ff. de V.O. L. aſſeveratio 10, circa fin. C. de non num. pec. L. Papinianus 20. in princ. ff. de minor.* Etſi igitur contingere poſſit aliquando, ex

ex inſipientia ceſſionem fieri, & planè ſtultum eſſe,* qui temerè bonis cedit, quia tamē 126.
ſtultitia ſuos gradus habet, hunc in poſitivo, eum verò, qui libertatem vendit, in ſuperlativo collocabimus, ſtultiſſimumq́ue dicemus, & cum Imp. Leone *inf. Nov. 59.* verum jam tum (veſaniæ & ſtultitiæ) mancipium, vt opus proinde non ſit, alterius cujuſq; ſervum & mancipium fieri.

Ad quartam dubitandi rationem Reſp. cum * quilibet præſumatur ſanæ mentis, *L.* 127.
non codicillum 14. C. de teſt. c. f. de hæred. quæ ab inteſt. item diligens * in curandis & conſer- 128.
vandis rebus ſuis, *L. qui ſervandarum 14. de præſ. verb. c. qui vult. diſt. 3. L. cum de indebito 25. ff. de prob. & præſumpt.* Weſenb. *ff. eod.* non eſſe * 129.
facile præſumendum, cedentem bonis ſuis id ex ſimplicitate vel inconſulta temeritate, multò minùs ex creditorum importunitate facere, cum importunitas cadat in delictum, quod tamen de jure* non eſt præſumendum, 130.
Dd. per L. meritò 51. ff. pro ſocio L. fin. ff. quod met. cauſ. L. item apud Labeonem § ſi communem ff. de injur. L. cum pater §. ergo. ff. de leg. 2. L. omnimodò in princ. C. de inoff. teſt. Quamvis itaque fieri poſſit, vt ſimplex aliquis ex mera ſimplicitate, vel homo baſſæ cōditionis ex ſolo metu poteſtatis ſuorum creditorum ad ceſſionē proſiliat, tamen quia non ſemper & vniver-

ſim ſit, multæq; *rationabiles cauſæ aliquem ad ceſſionem movere queunt, puto non poſſe inde regulam erui, atque generaliter & vni-
132. verſim ceſſionem prohiberi; nam ex * his forte, quæ vno caſu accidere poſſunt, jura non conſtituuntur, *L. ex his 4. ff. de LL.* Itaque judicis officium hac in parte erit videre & cognoſcere, quid moveat debitores ad ceſſionē, at-
133. que exquirere * cauſam ceſſionis, an rationabilis ſit, ex pediatque debitori, *argt. §. cum autem inſtit. de adopt.* Greg. Tholoſ. *c. 9. n. 19.* nam ſi viderit id vel ſolius ætatis imprudentiâ, vel ex craſſitie intellectûs, & quadam ſimplicitate, vel fatuitate fieri, non facile cedere permittet, tum per rationes in argumento quar-
134. to adductas, tum quia ipſius quoq;, * reip. intereſt, ne quis re ſuâ abutatur, *§. ſed & major. inſtit. de his qui ſunt ſui &c.* Weſenb. *n. 1. ff. de aleator. id. n. 6. ff. de donat.*

135. Similiter * impediet ceſſionem, ſi animadverterit eam ad ſolam creditorum importunam fieri inſtantiam, nam quemadmodum in alijs cauſis, ita & in hac quoque ſubveniet, & ne debiliores à potentioribus op-
136. primantur cavebit, quia hîc etiam * intereſt reip. neminem indefenſum relinqui, *argt. L. ſervum 33. §. 2. ff. de procurat. L. ſi non defenduntur. 19. ff. de pœnis.*

Ad quintam dubitandi rationem Reſp. quem-

quemadmodum ſimplicitas & infirmitas debitorum ipſis non debet obeſſe, quando apparet eis ceſſionem damnoſam eſſe, ita quoque * malitia & temeritas eorum non debet 137.
ipſis prodeſſe, ſi apparuerit eos in perniciem creditorum cedere, iſtamq́; ceſſionem creditoribus periculoſam eſſe, infirmitas * enim 138.
non calliditas auxilium ſumit, *L. 2. §. ſed ita demum ff. ad S. C. Vellejan.* Sicut in ſimili, ſi * 139.
mulier ſit callidè verſata, & decipiendi animo pro aliquo interceſſerit, carebit exceptione & beneficio Vellejani, *L. ſi decipiendi 30. ff. d. T.* Weſenb. *n. 4. ff. eod. L. fæminis 18. ff. eod.* & minori * ſi ſe majorem ſimulando alteri falla- 140.
ciam ſtruxerit, non datur reſtitutio in integrum, *L. 2. & tt. C. ſi minor ſe majorem &c.* ita quoq; ei, qui nonniſi decipiendi animo cedere cupit, ceſſio juſtè denegatur, tunc * enim 141.
ſuccurrendum eſt, cum quis defenditur, non vt facilius calumnietur, *argt. L. in eo 110. §. fin. ff. de R. I.* & beneficia juris ad hoc ſunt prodita, vt aliqui adjuventur, non vt alij decipiantur, per ea quæ not. Dd. *in L. in commodato 17. §. ſicut 13. ff. commodati.*

Ad ſextam dubitandi rationem Reſp. primò, quod detruſio in carcerem non ſit * cau- 142.
ſa adæquata, & totalis ceſſionis bonorum; id quod ipſe Platea n. 18. agnoſcit, vbi ſibi ipſi opponit, quod mulier * non poſſit incarce- 143.
rari

rari *auth. ſed novo jure C. de cuſtod. reorum.* & tamen poteſt cedere bonis, *L, cum & filij 7. v. vtriusque ſexûs C. qui bon. cedere* item debitor poteſt cedere bonis, licet creditores velint dare dilationes ad ſolvendum, *vt not. in L. fin. C. eod.* & fatetur etiam Schneid. *n. 5.* quo in caſu nullum eſt periculum incarcerationis: ſic etjam Matth. Brun. *q. 2. quart. quaſt. princ.* dubi-
144. tat an * Eccleſia bonis cedere poſſit, per rationem: quod principalis cauſa propter quam ceſſio introducta eſt, ſit hæc: ne debitor in carceribus detineatur; atqui Eccleſia carcerari non poteſt. Nihilominus tamen non attentâ hac dubitandi ratione reſpondet, eam cedere poſſe *per text. in §. ſi quis autem adjecerit. auth. vt determinat. ſit. num. cler. vid. ſup. n. 56.* Menoch. *caſ. 183. n. 16.* Itaque licet vna aliqua cauſa hæc ſit, quare hoc beneficium lege Juliâ debitoribus indultum ſit, vt nimirum cedendo bonis vinculorum, ſervitutis, carceriſq; injurias ſubterfugere poſſint, *per L. 4. ff. de ceſſ. bon. L. 1. & 7. C. qui bon. ced.* Weſenb. *n. 3. ff. d. T.* tamen vt idem Weſenb. *n. 5. eod.* do-
145. cet, alia adhuc * cauſa, aliuſque finis ceſſioni ſubeſt, vt creditoribus quo ad ejus fieri poteſt, ſatisfiat, *vid inf. q. 8. n. 70. q. 9. n. 34.* & debitor ab importunitate & moleſtijs, quas creare attenti debitores ſolent, liberetur, *vid. inf. q. 7. n. 21.* Harpr. *n. 30.* Tholoſ. *c. 13. num. 1. c. 8. n. 2.* & Weſenb.

ſenb.*loc.cit.* vbi paulò poſt debitor autem, inquit, cedendo pro hic & nunc liberatur à perpetua flagitatione æris alieni, metuque carceris, & addictionis, ita vt vrgeri amplius non poſſit. Ex quo apparet, quod nō vna, ſed multiplex ſit cauſa ceſſionis (ſicut * ejuſdem rei 146.
plures eſſe fines poſſunt, Weſenb.*num.8.ff.de pact.*) & proinde * vnâ tantum ceſſante reli- 147.
quis autem, præſertim importunis exactionibus & flagitationibus, adhuc durantibus ceſſioni locus eſſe poſſit, Card.Tuſch. *lit.* C. *concluſ.144.n.7.& ſeqq.* juxta reg. vbi * plura 148.
obſtant, vno ſublato reliqua non tolluntur, Gail.*2.obſ.65.n.7.* quid autem juris, ſi creditores non inſtent. *vid.inf.q.7.n.16.*

Reſp. ſecundò: etſi ſic * depauperati opus 149.
non habeant beneficio ceſſionis, quia ſine ceſſione gaudent beneficio competentiæ, vt dicam infra *decad.3.q.2.vid.etiam* Ioan.Herm. Stamm.*de ſervit.perſ.c.4.l.1.n.20.* nihilominus tamen ſi qui velint, cedere poſſunt. Hancque & non aliam eſſe mentem Matth.Brun. colligo ex *quæſt.33.quart.quæſt.princ.n.3.* vbi ait: beneficium hoc, ne quis teneatur in plus, quam facere poſſit, operatur, ne debitor habeat *neceſſe* cedere bonis, nam cum ſit habenda ratio, ne egeat, *cogi non poteſt* cedere bonis, *vid.decad.2.q.1.n.123.cum ſeqq.* Idipſum ſentire videtur Greg.Tholoſ. *c.9.* qui poſtquam *n.5.*

ſecum

ſecum diſputaſſet, an poſſint Clerici bonis cedere, propterea, quod non poſſint pro debito civili in carcerem detrudi, ſed habeant beneficium, ne conveniantur vltra, quam facere poſſint, *vid. inf. decad. 3. q. 1. n. 79.* poſtea *num. 9.* definit, & receptum eſſe dicit, vt quamvis clericus & Eccleſia non cogantur cedere bonis, poſſint tamen admitti, ſi velint, idem tenet Socin. *reg. 65. ampl. 3.* Horum autem omnium
150. rationem * deſumere licet ex §. *ſed noſtra. inſtit. de hæred. qual. & diff.* vbi cum hæredes ha-
151. berent jam ante * beneficium deliberandi, Imp. Juſtin. introduxit poſtea beneficium inventarij, longè pinguius & nobilius, ita vt hæredibus deliberationis auxilium prorſus non eſſet neceſſarium: nihilominus tamen liberum ijs eſſe voluit, vt ſi omiſsâ obſervatione ſuæ conſtitutionis & deliberandum exiſti-
152. maverint, & ſeſe * veteri gravamini deliberationis ſupponere maluerint, illud omninò facere poſſent; quod videtur hanc habere ra-
153. tionem, quia * invito beneficium non datur, *L. invito 69. ff. de R. I. L. invitus 156. §. 4. ff. eod.* &
154. cuilibet * liberum relinquitur explorare, an expediat ſibi tale beneficium, *argt. L. 2. inf. ff.*
155. *mandati.* Varij * enim ſunt affectus & voluntates hominum, *text. in L. quia poterat 4. ff. ad Trebellian.* & vnum huic, alteri aliud videtur
156. magis expedire, non enim * omnibus ſemper

per omnia conveniunt, Weſenb. *num. 14. §. hujus autem ff. de I. & I.* & ipſum * competen- 157.
tiæ beneficium liberat quidem ab extrema inopia & mendicitate, non tamen à moleſtijs creditorum, hinc * commodum eſt plura ſu- 158.
pereſſe beneficia, quoniam vno repudiato ſupereſt adhuc alterum, *argt. L. ſuum hæredem, 13. C. de jur. delib.* quoties enim * duplici ju- 159.
re confertur beneficium, repudiato novo jure ſupererit vetus, *argt. L. quoties 91. ff. de R. I.*

Ad ſeptimam * dubitandi rationem Reſp. 160.
illam bene procedere in terminis, in quibus Tholoſ. loquitur, quando quis videlicet pro debito ſe obſtrinxit carceribus, & renunciavit beneficio ceſſionis, tunc enim haud dubiè neque creditori neque debitori prodeſt
* eum in vinculis teneri, quia ibi nihil vel 161.
parum poteſt lucrari, vnde vel creditoribus ſatisfiat, vel vxorem & liberos alat: in noſtro autem propoſito res longè aliter ſe habet, nam etiamſi quis bonis * ceſſerit, poteſt 162.
tamen ſuâ induſtriâ quotidie aliquid pro ſua & ſuorum ſuſtentatione de novo acquirere, & inde vivere, præſertim tunc, quando * 163.
bona vel emphytevtica vel feudalia habet, de quibus ſupra aliquoties dixi, *q. 1. num. 92. & hac quæſt. 6. num. 69.* ea executioni & ceſſioni non ſubjacere, quemadmodum vxoris veſtes,

gem-

gemmæ, monilia, dos omneq́; patrimonium proprium (cujus maritus adminiſtrationem habet, & quando induſtrius eſt, facilè rem familiarem de novo augere poteſt) à ceſſione iſtac eximitur, Harpr. §.*fin.num.29.inſtit.de*
164. *action.vid.ſup.q.2.num.35.* Vnde * à contrario non malè inferre licet, ſi quis vel ob decrepitam ſenilem ætatem, vel ob intellectûs & judicij ſui imbecillitatē, vel ob aliquam aliam ſimilem cauſam ita malè conſtitutus ſit, vt ſpes nulla vllius honeſti lucri vel augmenti ſuperſit, quod tunc judex rationem liberorũ habere, & ceſſionē impedire poſſit. Quod de familiarum dignitate dictum, tanti ponderis non eſt, vt refutationem mereatur, nam quia
165. * Reip. intereſſe non directò & principaliter ſed minus principaliter tantũ concernit, ideo non multùm attendi debebit, *argt. L.1.ibi.per*
166. *conſequētias contingit.ff.de auct.tut.* aliàs * enim decoctoribus quoq́; & fallitis (per quorũ fallimēta plerumq́; magnæ familiæ ſui honoris diminutionem patiuntur) tantum relinqui ſemper deberet, quantum pro honore familiæ ſatis eſſet. Accedit quod plurium ſæpe creditorum dignitati & familiæ conſulatur, dum vniûs ſoliûs ceſſio admittitur.

167. Ad octavam * rationem dubitandi Reſp.
168. quod in antecedenti de renunciatione * ceſſionis dictum eſt, illud valde eſſe controver-

ſum

ſum & dubitabile, quemadmodum loquitur Coler. *de proceſſ. execut. p. 1. c. 6. num. 95.* Nam quod beneficio ceſſionis etiam abſque juramento poſſit renunciari, tenent multi per ipſum ibidem & apud Covarr. *L. 2. c. 1. num. 7. verſ. nec deſunt,* allegati, & noviſſime Harpr. *§. fin. num. 11. cum ſeqq. inſtit. de action.* vbi argumentis in contrarium adductis reſpondet. *vid. inf. q. 8. n. f.* Deinde * poſito antecedente 169.
negatur conſequentia; quia magna eſt inter vnum & alterum beneficium differentia, nam Primò ceſſioni ideo volunt renunciari non poſſe, quia per eam * renunciationem 170.
deveniretur ad incarcerationem, Sichard: *loc. cit. num. 5.* quæ contrariatur aliquo modo libertati, Joan. Herm. Stamm. *l. 1. c. 4. num. 16.* Covarru. *L. 2. c. 1. var. reſol. num. 7.* & per eam
* neque debitori neque creditori eſt conſul- 171.
tum (nam quid creditor lucrabitur, ſi debitor ſqualore & poedore carceris fameq; conficiatur, & vnà cum eo illius liberi & vxor ob pecuniam pereant? Greg. Tholoſ. *c. 15. n. 3.*) In noſtro autem caſu quando debitor renunciat, vel ſaltem non vtitur beneficio Novellæ
135. * non vlterius, niſi ad ceſſionem & di- 172.
miſſionem bonorum vrgebitur, quâ factâ labore & artificio vel induſtriâ de novo ſibi quædam comparabit, ex quibus ſatisfieri creditoribus poſſit, pinguiore redeunte fortunâ;

173. neque enim quod * differatur ſolutio, ideo
174. illis aufertur debitum, *per L. quoties C. de pre-
cib. Imp. off. Tholoſan. *loc. cit. vid. ſup. decad. 1. q. 1. num. 26.* cedendo * namque debitor a-
ctionibus quidem ad tempus, ſed non obli-
gatione liberatur, Harpr. *n. 31. & 32.* Weſenb.
in parat. n. f. ff. de ceſſ. bon.

175. Secundò hæc conventio: vt ſine * ceſſione quis poſſit carcere detineri, ex diametro ali-
quid repugnans juri videtur continere, vt contra ordinem judiciorum prius perſona moleſtijs afficiatur & injurijs, quam bona diſ-
cutiantur, ſecus atque præſcriptum à D. Pio *in L. à D. Pio. §. in venditione ff. de re judic.* quare cum tendat contra formam juris communis & publici, inductam in favorem libertatis humanæ, non facile illa renunciatio admitti debet, prout bene notat Gregor. Tholoſ. *c. 15 num. 3. argt. 4.* & Covarr. *d. num. 7.* atqui tunc, quando renunciatur, vel potius negli-
gitur beneficium Nov. 135. & ad ceſſionem
176. * bonorum devenitur, adhuc nihilominus ordo juris ſervari poteſt, vt initium fiat à mo-
bilibus, poſtea gradus ad immobilia, &c. Plu-
res alias differentias lectori conſiderandas re-
linquo; idque coronidis loco circa præſen-
tem quæſtionem

Notandum volo: quando debitor tempo-
ribus pacatis & tranquillis in aliquo inſtru-
mento

mento ſeſe obligavit, & omnibus beneficiis juris * renunciavit (ſicuti fieri ſolet) quod 177.
nihilominus beneficio Nov. 135. vti & gaudere poſſit. Quemadmodum in ſimili Greg. Tholoſ. *c 15 num.4.* putat generalem iſtam renunciationem non extendi * ad beneficium ceſſionis. 178.
Additque rationem hanc: quia iſti caſus fortuiti, quibus inopia miſericordiâ digna fit, non poſſunt intelligi cogitati tempore conventionis, cum non ſint in poteſtate hominum, nec in conſiderationem veniunt, *vid. decad.3.q.7.num 117 cum ſeqq. q. 9. inf.* & adverſam * liberi hominis fortu- 179.
nam expectare, neque civile neque naturale eſt, *L. inter ſtipulantem §. ſacram.5. de V.O* & renunciatio * valida eſt rebus ſtantibus in 180.
eodem ſtatu, quo erant tempore conventionis, non vtique illis mutatis, *argt. c. quemadmodum. extra de jurei: d. ib d. & c.15. num.6* vbi dicit: quando expreſsè ceſſioni renunciatum eſt, id intelligi factum ex conditione ſubintellectâ, rebus ſic extantibus, vt dictum eſt, cum caſus futuri præviderii non poſſint, nec de ijs cogitaverit, qui renunciavit.

QUÆSTIO VII.

Quænam maximè attendenda in ceſſione bonorum calamitoſis debitoribus permittenda?

SUMMARIA.

1. *Iudex in permittenda ceßione bonorum cautè obſervare debet rerum & perſonarum conditionem.*
2. *An debitor cedere volens ſit homo prudens & diſcretus?*
3. *An ceßio juvare poßit creditores?*
4. *An ab amicis vel aliunde ſuſtentationem habere poßit cedens?*
5. *An ei paulò poſt ſint obventura bona?*
6. *An non ex quodam aſtu cedat & malitia* 7. *in fraudem & præjudicium creditorum?*
8. *Fraus omni beneficio excludit.*
9. *Dolus in quolibet actu cenſetur exceptus.*
10. *Actus diſtinguuntur à finibus.*
11. *Finis deſignat, qualis res cenſenda.*
12. *Cujus finis malus, ipſum malum eſt.*
13. *Iudex perſpicere debet, an is qui ceßionem meditatur, non ſit homo negligens & ignavus.*

14. Do-

14. *Dolis & fraudibus omni modo occurrendum.*

15. *Ignavi non debent alieno labore ſuſtentari.*

16. *Debitor bonis cedere non poteſt nemine vrgente.*

17. *Ratio, quia ceßionis beneficium eſt miſerabile & ſubſidiarium.*

18. *Ad Iusj. non debet voluntas ſpontanea ducere, ſed neceßitas importuna trahere.*

19. *Spontanea ceßio facile poſſet cedere in præjudicium creditorum.*

20. *Volens potius fuſtigari, quam ſolvere, non eſt audiendus.*

21. *Cauſa finalis ceßionis eſt moleſta flagitatio æris alieni.*

22. *An bonâ conſcientiâ quis nemine vrgente poßit bonis cedere?*

23. *Debitor etiam tunc cedere poteſt; quando creditores ei volunt dare inducias. 24. Ratio.*

24. *Controverſia Dd. in hac parte.*

25. *Differentia inter ceßionem ſpontaneam, & conceßionem induciarum prima. 26. Secunda.*

27. *Creditoribus omnibus vltrò dilationem concedentibus non poteſt cedere debitor.*

28. *Cauſæ rationabiles, ob quas dilationẽ quinquennalem debitor reſpuere poteſt.*

29. *Dilationem accipiens cavere debet de ſolvendo induciis finitis.*

30. *Indiciis ſemel obtentis beneficio ceſsionis locus amplius non eſt.*

31. *Vltronea ceſſio quando & cur permittenda?*
32 *Ratio prima, 33. Secunda.*

34. *Quid incumbat creditoribus volentibus impedire voluntariam debitoris ceſsionem.*

35. *Impotentia ſolvendi efficit, vt quis cedens bonis excuſetur.*

36. *Ad factum obligato, quod quis ipſe explere non poteſt, ſumptus ſubminiſtrari æquum eſt.*

37. *Operæ præſtantur ſumptibus eorum, quibus eduntur.*

38. *Cedere licet etiam ad inſtantiam vniûs & alterius.*

39. *Sponte cedere an rectè dicatur, qui ad inſtantiam vniûs cedit.*

40. *Subornatio cavenda.*

41. *Procuratorum nihil prodeſt. 43. Exemplum.*

42. *Affectatum non ſolet eſſe oneroſum.*

44. *Iudex in ceſsione calamitoſi debitoris attendere debet, an non fiat ob potentiam & importunitatem creditorum.*

45. *Ratum eſſe non debet, quod metûs causâ geſtum eſt.*

46. *Iudex quid attendere debeat in jurata renunciatione ceſsionis.*

47. *Requiſita ad hoc, vt ceſsio bonorum permittatur, in compendio.*

48. Ca-

48. *Caſus aliquot, quibus ne ſponte quidem cedere volens permittitur.*

QVamvis juxta concluſionem, in ſuperiori quæſtione factam, debitores calamitate belli depauperati prohibendi non ſint, quò minus relicto pinguiori Nov. 135. beneficio, ad lamentabile ceſſionis adjutorium currant, nihilominus tamen ego in iſtis judicium ejus, qui de lite cognoſcit, maximè deſidero, * vt videlicet 1.
cautè obſervet rerum & perſonarum conditionem, nec indifferenter omnibus omninò permittat. Ac proinde

Advertendum puto Primò ad perſonam ipſius debitoris, qualis ſit ille, * an homo 2.
diſcretus, prudens, & qui æſtimare ſciat detrimentum, quod ex ceſſione ipſi accedere poteſt, an verò tam ſimplex, rudis & exigui judicij, vt periculum non apprehendat, per ea quæ notavi jam ſupra: *quæſt. 6. in reſponſ. ad quartam dub. rationem*, & hoc loco repetita volo. Deinde etiam illud in conſiderationem venire debet, an ceſſio bonorum * poſ- 3.
ſit aliquo modo juvare creditores, per tradita *ſup. q. 1. n. 81. & ſeqq.* & an cedens * amicos ha- 4.
beat vel proximos, qui veriſimiliter poſt ceſſionē non patiantur eum egere, ſed potius neceſſaria illi ſint ſubminiſtraturi; vel an * non 5.

ei paulò poſt ſint bona obventura, ex quibus debitum totum vel pro parte ſolvi poſſit, per tradita Greg. Tholoſ. *p.3.l.22.ſyntagm.c.15.n.6.* & ſic prò varietate circumſtantiarum judex ceſſionem admittere, vel prohibere poterit.
6. Tertiò attendendum judico *circa perſonam ipſius debitoris, vtrum non ex quodam aſtu, dolo, & malitia ceſſionem meditetur, nam quemadmodum judex infirmitati & ſimplicitati ſubvenire, ita quoque calliditati & nequitiæ omnibus modis debet occurrere, per ea, quæ in reſponſo ad Quintam dub. rationem ſupra fuſiùs annotavi. Sunt enim (vt Matth. Brun. *q.6.princ.n.7.* in ruſticis ſui temporis obſervavit) quamplures, qui propriâ induſtriâ & labore debita poſſent abſque ceſſione ſolvere, *vid. inf. q.8.n.81.* & nihilominus ad illam, tanquam ad bravium currunt, exiſtimantes ſe à creditoribus in futurum nunquam vexandos vel exigendos eſſe, de quibus dixi jam ſupra decad. *1. q 9. num.5.* qua ratio-
7. ne & ſe ipſos & ſuos creditores fallunt. * Itaque reſtringendam puto concluſionem præcedentis quæſtionis, vt nimirum careat beneficio ceſſionis, qui in fraudem & præjudiciũ creditorum ceſſionem meditatur: *vid. inf. q.*
8. *8.n.44.* Idque primò propterea: quia fraus * omni beneficio excludit, *argt. L. ſi cum pater 17. C. ad Sc. Vellei. L. ſi mulier 11. cum L. ſeq. ff. eod.*
L. idem

L.idem 7.§.mutui 3.ff.ad S.C. Maced.L.3.§.is autem tertio ff. eod. & dolus * in quolibet actu 9.
cenſetur exceptus,*L.creditorum 60. §.Lucius 4.*
ff.mandati. Secundo quia * actus diſtingvuntur 10.
tur à finibus, *L.qui injuriæ 53.ff. de furt.* & finis
* deſignat, qualis res cenſenda ſit, Gail. *2. obſ.* 11.
53.n.7.per c. fraternitatis §.fin.inf. extra. de frigid. & malef. cum itaque in propoſito * finis 12.
malus, ipſa quoque ceſſio mala ſit & impermiſſa, neceſſe eſt, per not. Gail. *obſ.18. num.6.*
Drex.*de rect.int.l.1.c.8. hinc inde.*

Quartò: perſpiciendum eſt judici, * an nõ 13.
ſit homo negligens vel ignavus, qui ceſſionem meditatur, qui non curaret quidpiam ſibi quærere, cum poſſet, vt ſolveret, per notata Greg. Tholoſ. *c.15. n.6.* nam ſi eſſet homo robuſtus & rerum peritus, qui ſi vellet, quotidie occaſiônem aliquid acquirendi haberet, & tamen non faceret, is fraudatori non multum abſimilis foret, & proinde eo in caſu ceſſio reijci poſſet, idq; quod ſingulis diebus lucrabitur, creditoribus ſolvere teneretur, Pet. Peckius *in tract. ſuo de jur. ſiſtend.c.5.n.16.* vbi dicit hanc eſſe Baldi ſententiam, à quo licet diſſentiat Salicetus, pluribꝰ tamen & quidem
illuſtribus ingeniјs probari, quia fraudibus * 14.
iſtiuſmodi nebulonum obviam eundum eſt, *L.in fundo.ff.de rei vend.* ne in eorum facultate ſit, creditoribus, quibus ſolvere aliquâ ratio-

15. ne poſſunt, præjudicare, & ne ignavi * ac deſides alieno alantur labore, cum quemlibet deceat in ſudore vultûs ſui comedere panem ſuum. Quam opinionem tanquam animæ eorum magis convenientem reip. vtilem & piam commendat Cynus, & eum ſecutus Rodericus.

16. Quintò: etiam illud attendendum eſt, * vtrum creditores inſtent, & ſua credita exigant, *vid. q. ſeq. num. 78. & 81.* Greg. Tholoſ. *p. 3. c. 8. ſyntagm. num. 1.* nam multi non irrationabiliter tenent, quod debitor bonis cedere non poſſit, nemine vrgente vel moleſtiam inferẽte, id quod in terminis tradit Joan. Fab. *ad §. fin. n. 9. inſtit. de action.* his verbis: generaliùs credo, quod nunquam ceſſio debeat admitti, niſi creditores inſtarent & peterent eũ detrudi, vel detineri, vel fortè in foro Eccleſiaſtico excommunicari. Idem tenet Joan. de Plat. *ibid. num. 17.* Schneid. *ibid. num. 16.* Bart. Socin. *reg. 65. fall. 17.* Nicol. Boer. *deciſ. 349. v. Sic etiam debitor.* ad quod allegat. *text. in L. 1. & L. fin. C. qui bon. ced. poſſ.* Matth. Brun. *q. 7. quart. quæſt. princ. per tot.* vide eundem *q. 1. n. 1.* vbi deſcribit, cedere bonis nihil aliud eſſe, niſi dimittere bona creditoribus *ad inſtantiam & petitionem* creditorum, vel dimittere & relaxare bona debitoris creditorum improbitati *& inſtantiæ*, Greg. Tholoſ. *c. 9. num. 18.* & licet

cet nulli textus in terminis id exprimant, & Bartol contrarium opponetur *in L. ſtipulatio. §. habet de oper. nov. nun.* tamen teſte Tholoſano omnes curiæ Galliarum iſtam ſententiam ſequuntur. Rationem communiter reddunt hanc: quia ceſſionis * beneficium eſt miſe- 17.
rabile & ſubſidiarium, nec concedi debet, niſi propter neceſſitatem, vt quis carcerem evitare poſſit, vnde ſponte cedens non debet admitti, Schneid. Brun Boer. *loc. cit* & ſicut aliàs de iurej: dicitur, ita quoque de ceſſione dici poteſt, quod ad * eam non debeat voluntas 18.
ſpontanea ducere, ſed neceſſitas importuna trahere, *c. etſi Chriſtus 26. extra de jurejur:* Weſenb. *in parat. num. 5. ff. eod. vid. inf. q. 8. num. 73.* Rationem * adhuc aliam ſuperaddit, Nicol. 19.
Boer. & poſt eum Brun. *loc. cit.* ſi creditoribus non petentibus admitteretur ceſſio, de facili poſſet in bonis quęrendis magnū fieri creditoribus præjudicium, quod eſſe nō debet. Sicut itaq; eum, qui condemnatus eſt ad ſolvendum, & vult potius * fuſtigari, quam 20.
ſolvere. judex non debet audire, ſed cogere ſolvere & bona ſua vendere: ſic etiam nō debet audire volentem vltrò cedere, vide multa ſimilia apud Harpr. *ff. patitur. n. 7. cum ſeqq. inſt. de injur.* Nam præterquam, quod in eo ceſſet cauſa * finalis ipſius ceſſionis, quæ eſt 21.
ſecundum Weſenb. *num. 6. de ceſſ. bon.* vt

debi-

debitor ab importunitate & moleſtijs, quas attenti creditores creare ſolent, liberetur, *vid. ſup. q. 6. n. 145.* ſuppono debitorem talem ejus qualitatis, roboris, & induſtriæ eſſe, vt intra breve tempus aliquid, quod idoneum emolumentum habeat, (vt loquitur Imp: *in §. fin. inſtit. de action.*) poſſit acquirere, & plus quam
22. hic & nunc præſtare. Proinde videtur * etiam in conſcientia parum tutus eſſe, qui labore manuum ſuarum, vel propriâ induſtriâ tantum valet conquirere, vt creditoribus ex integro vel magna ex parte poſſit ſatisfacere, ſi nunc malit bona omnia nullâ neceſſitate vel flagitatione affectus abijcere, & vix dimidiam vel quartam debitorum partem ſolvere, *vid. ſup. q. 6. num 87. decad. 1. q. 9. num. f. hac quæſt. n. 15.*

Neque dictis obſtat, quod debitor etiam tunc poſſit bonis cedere, quando creditores
23. * volunt ei inducias, vel quinquennalem dilationem concedere, *per text. in L. fin. vbi Dd. C. qui bon. ced. poſſ.* Schneid. *§. fin. n. 4. inf. inſtit. de action.* quia tale beneficium ipſo jure à lege abſque facto creditorum, imò contra eorum voluntatem ei conceditur, & ſic bonorum ceſſionem impedire nequeunt, Matth. Brun. *q. 21. princ. per tot. maximè n. 2. in fin.* Ergo videri poſſet, quod etiam tunc, quando creditores prorſus ſilent, & debitorem non moleſtant.

Ad

Ad hoc enim Reſp. Primò: id quod in antecedenti * dicitur, dubio non carere. *nam text.* 24.
in L. fin. ſatis manifeſtè tribuit electionem creditoribus, *ibi: & electio detur creditoribus,* „ *vel quinquennale ſpatium eis indulgere, vel bono-* „ *rum accipere ceſsionem*; & quamvis Dd: ſuper „ hoc diſputent, vt videre licet apud d. Brun. *n.2.* tamen communiter placuit, ſi debitor vult cedere bonis, niſi ſibi detur dilatio ad ſolvendum, eſſe in electione creditorum dare dilationem, & tunc non poſſe debitorem amplius cedere, Paul. de Caſtr. *ad d. L. fin. in ſumma.* In effectu ergo creditoribus datur electio, ſed tunc primùm, poſtquam debitor expoſcit, an creditores ei dilationem aut ceſſionem indulgere velint. Ita Brun. *loc. cit. n. 6. v.*
ego autem dico. Ex quo apparet, magna * inter 25.
vnum & alterum caſum differentia, nam ibi ſupponitur creditores nihil petijſſe; hîc autem inſtitiſſe, & ad eorum inſtantiam debitorem dixiſſe, vel date mihi inducias, aut cedam bonis, Brun. *d. L. n. 2. & 6.*

Deinde * poteſt debitori dilatio concedi, 26.
etiam quando vnus vel alter inſtat & vrget, ſuumq; creditum exigit, adeoq; quando inter creditores eſt diſcordia *d. L. fin.* Brun. *n. 3.*

Tertiò quando * omnes eſſent concordes, 27.
& vltrò dilationem concederent, in eo caſu non improbabiliter dicunt, quod non poſſit debi-

debitor cedere bonis, ſed quod dilationem acceptare teneatur, Brun *n.4.vida f. q. 8. n. 71. cum ſ qq.*

Quartò: poſito quod poſſet dilationem
28. reſpuere, id fieret propter * rationabiles cauſas, quæ ipſum movere queunt; notum eſt
29. enim, quod is, qui * dilationem accipit, cavere debeat de ſolvendo in ducijs finitis De-
30. inde quod inducijs ſemel * obtentis beneficio ceſſionis ampliùs non gaudeat *L. vlt. ibi* Gloſſ. & Dd. *C. d. T.* Harpr. *num. 22. § fin. inſtit. de action. d. num. 71. q. 8.* & ſi minorem obtinuiſſet dilationem, quam quinquennalem, cedendi facultate privaretur, Matth. Brun. *q. 20. quart. quæſt. princ. num. 21.* atqui forte cautionem præſtare non vult, vel timet, quod intra tempus conceſſum, quo ſolvendi terminus prorogatur, ſe recolligere, & rem ſuam augere, nec creditoribus ſatisfacere, ac ſimul beneficio ceſſionis fruſtrari poſſit, illudq́; periculum incurrere, quod illis imminere *ſeq. quæſt.* dicam, qui ad ceſſionem nō admittuntur. Quæ omnia tunc ceſſant, quando creditores prorſus tacent, neq; debitorem conveniunt, vel vrgent.

Quod autem dixi, debitorem non poſſe bonis cedere, nemine ei moleſtiam inferen-
31. te, id fortaſſis hoc modo * limitari poteſt: vt etiam ſine inſtantia creditorum vltrò & ſponte ali-

te aliquis cedere poſſit, ſi nimirum nulla ſpes ſit, quod ſe recolligere, & ad pinguiorem fortunam redire poſſit, argumento eorum, quæ notat Harprecht. *num. 23. v. tum deniq; à contrario petito. vid. ſup. q. 6. num. 72. & 80.* vtpote quod viribus & ingenio careat, vel ſumptus neceſſarios ad excolendos & meliorandos agros non habeat, & neque ex amicis vel conſanguineis, neque ex ipſis creditoribus quiſquam ſit, qui impenſas ſuppeditare velit. Ratio prima * eſt hæc: quia talem aliquem ad 32.
ceſsionem non trahit ſpontanea voluntas, ſed neceſsitas. Secunda: * quia non facit ex iner- 33.
tia vel ex malevolo propoſito, in fraudem & præjudicium creditorum, ſed omni alio deſtitutus auxilio. Quare ſi velint creditores ceſsionem * impedire, neceſſe habent alteru- 34.
trum facere, vel oſtendere quod debitor poſſit ſuo aliorumve ſumptu opus ruſticum v. g. aut conſuetum artificium redinchoare, vel debent ipſi, ſi laborum patiens, robuſtus, & induſtrius eſt, ſumpt⁹ ad hoc neceſſarios ſubminiſtrare, *vid. ſup. q. 6. n. 86. inf. q. 8. n. 15. & 16.* Ratio eſt, quia is, qui neque viribus proprijs aut induſtriâ ſuâ, neq; ſuo aliorumve ſumptu ſe poteſt recolligere, planè miſer eſt & impotens, vide Vincent. Caroc. *de excuſſ. bon. p. 2. q. 35. num. 15. & ſeqq.* * impotentia autem ſol- 35.
vendi efficit, vt quis cedendo bonis excuſetur,

tur, Mynſ. §. *fin. n. 12. inſtit. de action.* Ratio alia quoad ſumptus eſt: quia talis aliquis debitor, quem creditores cedere prohibent, in effectu pro hîc & nunc ad factum vrgetur, & âd ope-
36. ras præſtandas; ſed ſi quis ad factum * cogatur, quod ipſe explere non poteſt, ſumptus illi ſubminiſtrari æquum eſt, Mynſ. *loc. cit.* Joan. Fab. §. *fin. num. 4. inſtit. de act. vid. inf. q. 8. n. 15. vid. ſup. q. 6. num. 86. inf. q. 8. n. 15. & 16.* Sicut &
37. operæ * præſtantur ſumptibus illorum, quibus eduntur, *argt. L. ſuo victu. ff. de oper. lib. vid.* de hoc tamen Dornſperg. *in ſyntagm. jur. l. 3. c. 21. in fin.*

Limitari poſſe videtur ſecundò, vt cedere
38. * liceat ſpontè, ſi ſaltem vnus & alter creditorum inſtet, per tradita Covarr. *var. reſ. l. 2. c. 1. n. 5.* Ratio quia adhuc ſubeſt cauſa ceſſionis, ſcil: moleſta flagitatio æris alieni, juxta Weſenb. *n. 6. ff. de ceſſ. bon.* poteſt enim vnus ſolus, vel pauci æque moleſtiam creare, atq; multi.

39. Dices, non cedit ſponte, * qui ad inſtantiã creditoris etiam vnius cedit.

Reſp. Imò vero, nam ſi major pars creditorum inducias dare, minor autem ceſſionem accipere velit, cogi non poteſt debitor, etiam extra caſum calamitatum bellicarum, vt bonis cedat. *L. fin. C. qui bon. ced. poſſ.* de quo agam amplius aliquid infra *decad. 4. q. vlt.*

Ad-

Advertendum tamen hic eſt, vt non forte debitor * ſubornet vnum alterumve, ex cre- 40.
ditoribus, qui ipſum frequenter exigat, quò honeſtius cedere queat: nam ſi de hoc conſtiterit, judex ceſſionem non permittet, tum propter fraudem & malitiam, quæ hic ſubeſt, tum quia procuratum * nihil prodeſt, Bart. 41.
in L. ſive autem 9. §. ſi duobus 4. ff. de publ. & affectatum * non ſolet eſſe moleſtum, vel one- 42.
roſum, *L. ſpadonem 15. §. 15. ff. de excuſ. tut.* Card. Tuſch. *commun. concluſ. lit. A. concluſ. 237.* quemadmodum * in ſimili, ſi moveatur contro- 43.
verſia emptori ſuper re emptâ, poteſt ipſe pretium retinere, donec venditor præſtet cautionem evictionis, Card. Tuſch. *pract. concluſ. lit. E. concluſ. 360. n. 5.* vbi *num. 33.* limitat: niſi ad inſtantiam emptoris tertius moviſſet controverſiam.

Sextò in religione judicis ſitum erit perpendere etiam qualitatem creditorum, vtrū videlicet fortaſſis * non ſint tam potentes vel 44.
importuni, vt ex quodam metu proſiliat debitor ad ceſſionem bonorū, & dicat ſibi placere, quod tamen revera diſplicet, per ea quæ ſcripſi ſupra *in ſolut. quart. rat. dub.* & notata Gloſſ. *in c. ad audientiā v. cauſa. extra. de iis quæ vi metusve.* & facit quod prętor in edicto quod metûs causâ * generaliter edixit: quod metûs 45.
causâ geſtum eſt, ratum non habebo, *L. 1. ff. quod met. cauſ.*

Septimò judicem etiam admonitum cupit Didac. Covarr. *loc.ſupra cit. n. 7. circa f.* vt cautè obſervet negotij & perſonarum con-
46. ditionem, etiam tunc, quando ceſſioni * fuit renunciatum, & quidem juratò, ſæpe enim, ait ipſe, æquitas ſuadebit, his non obſtantibus permittendum eſſe debitori beneficium ei à jure conceſſum, atque hoc indulgendum inopiæ & paupertati ejus inculpatæ, quod in paſſibus vtilibus noſtro quoque inſtituto ſervire poteſt. Confer ea, quæ ſcribit Greg. Tholoſ. *c. 15. in f.*

47. Quid ampliùs requiratur * octavò ad hoc, vt cedere volens ad ceſſionem admittatur, videri poteſt apud Schneid. § *fin. n. 15. inſtit. de action.* Covarr. *loc. cit. n. 5.* Greg. Tholoſ. *c. 11. n. 14. & 16.* vbi volunt. 1. debitorem debere agnoſcere debitum, *vid. inf. q. 8. n. 52. & n. 90.* 2. interponere cautionem de ſolvendo, ſi ad pinguiorem fortunam pervenerit, Menoch. *de arbit. jud. quæſt. c. 2. caſ. 183. n. 20.* 3. omnia indicare & indicata relinquere, *vid. ſup. q. 2. n. 83. inf. q. 8. n. 62.* Sed hæc, quia generalia ſunt, & ad noſtrum propoſitũ ſpeciatim nihil cõducunt, nolo prolixius pertractare. Sunt præter-
48. ea aliquot caſus, quibus cedere bonis * volentes ne ſponte quidem ad ceſſionem admittuntur, ſed quia multi ad terminos materiæ noſtræ, videlicet ad calamitates bellicas, &

depau-

depauperationem inde oriundam non rectè poſſunt adaptari, ideo volui potiores, & ad rē propinquiùs facientes in hac quæſtione attingere, reliquos autem, ne quid materiæ ceſſionis deeſſet, in ſequentem & peculiarem quidem quæſtionem reijcere.

QVÆSTIO VIII.

Quibus in caſibus ceſſet beneficium ceſſionis; ſive qui bonis cedere non poſſint?

SVMMARIA.

1. *Vtilitas.*
2. *Neceßitas præſentis quæſtionis.*
3. *Carcerari poſſunt, qui nullo pinguiori beneficio adjuti cedere nequeunt.*
4. *Ceßionis beneficio deſtituti ſublimioribus gaudere non poſſunt.*
5. *Privatus minoribus majoribus gaudere non debet.*
6. *Cedere bonis nequit obligatus ex delicto ad pœnam pecuniariam. 9. Exemplum in cauſa injuriarum.*
7. *Delictum non debet manere impunitum.*
8. *Qui non habet in ære, luat in corpore.*

10. *Poena pecuniaria parti applicanda non poteſt commutari in corporalem, actore non conſentiente.*
11. *In pœna, quæ reſpectu debitoris pœna, reſpectu autem creditoris intereſſe & ſatisfactio, ceſſioni locus eſt.*
12. *Covarruviæ opinio.*
13. *Debitor ex lege Aquilia bonis cedere poteſt.*
14. *Ad factum obligatus cedere non poteſt. 16. Niſi illud ſit impoſſibile præſtare.*
15. *Dummodo ſumptus ſubminiſtrentur, ſi eos non habet.*
17. *Debitor fiſci an bonis cedere poſſit, ſi ſit debitor ratione criminis. 18. & quid ſi debitor ex contractu? quid ſi tributorum? 19.*
20. *Obligatus ad collectas bonis cedere nequit. 21. Ratio.*
22. *Collectæ nimiæ diſceſſionem non ceſſionem cauſant.*
23. *Opinio aliorum contrarium aſſerentium.*
24. *Ad munera publica evitanda nemo cedere poteſt.*
25. *Obligatus ad onus perſonale bonis cedere non poteſt.*
26. *Inops onera patrimonij non ſuſtinet, corpori autem indicta obſequia ſolvit.*
27. *Munera perſonalia magis in ſolicitudine animi, quam ſumptibus conſiſtunt.*
28. *Cedere nequit, qui tempore contractus ſcivit.*

vit, ſe non ſolvendo eſſe. 29. Si aſſerendo ſe habere idoneas facultates creditorem ad contrahendum induxit, aliàs non.

30. *Spe ceſſionis contrahens non poteſt cedere. Sicut nec ille, qui ſpe venia ſub vſuris pecunias mutavit. n. 31.*

32. *Spe privilegij peccans non gaudet privilegio.*

33. *Dives cedere nequit.*

34. *Capturam pracedere debet bonorum excuſſio.*

35. *Bona in fraudem creditorum alienans non juvatur beneficio ceſſionis.*

36. *Fraus & dolus nemini patrocinari debet. num. 40.*

37. *Decoctores cedere non poſſunt, quia furibus ſimiles. n. 38.*

39. *Criminoſus ſeipſum pœnæ ſubdidiſſe intelligitur.*

40. *Nemo ex ſuo delicto pramium reportare debet, an cedere poßint, qui ſuâ culpâ deſierunt ſolvendo eſſe.*

41. *Bancorotti & falliti cedere nequeunt.*

42. *Ceßio eſt miſerorum ſubſidium, non doloſorum præſidium.*

43. *Beneficio legis indignus eſt, qui in legem peccat. & n. 47.*

44. *Debitor doloſus & fraudulentus non cedit.*

45. *Exempla.*

46. *Spolians aliquem non auditur recurrens ad beneficium ceſsionis.*

48. *Iura non decipientibus, ſed deceptis ſubveniunt.*

49. *Negans debitum an beneficio ceſsionis gaudeat? Opinio affirmativa, & n. 56.*

50. *Mendaces oderunt jura.*

51. *Mendacium necat privilegium. & n. 57.*

52. *Cedere volens agnoſcere debet debitum.*

53. *Opinio negativa.*

54. *Iudicium redditur in invitum.*

55. *In confeſſum nullæ aliæ ſunt partes judicis, quam condemnatio.*

58. *Opinio media priorum conciliatrix.*

59. *Qui in jus alterius ſuccedit, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere.*

60. *Conciliatio alia.*

61. *In confeſsis etiam ſententiâ opus.*

62. *Occultans bona cedere nequit; ſi dolo facit. 64.*

63. *Subtrahens aliquid ex bonis ſimilis eſt neganti.*

65. *Ceſsio in quibuſdam locis ex lege municipali prohibetur.*

66. *Bannitus poſtea reſtitutus an admittatur ad ceſsionem?*

67. *Obligatus ad rem in ſpecie bonis cedere non poteſt.*

68. *Quod poteſt fieri paucioribus, non debet fieri pluribus.*

69. Em-

69. *Emphyteuta & vaſallus an cedant bonis?*
70. *Ceſsionis cauſa finalis.*
71. *Dilationem quinquennalem obtinens non cedit bonis. Lim: n.76.*
72. *Ne effluxo quidem quinquennio.*
73. *Ad ceſsionem bonorum inducere debet non ſpontanea voluntas, ſed neceſsitas.*
74. *Dilatio modicum præjudicium generat.*
75. *Quod differtur non aufertur.*
76. *Dilationem quinquennalem petens cavere debet de ſolvendo finitis inducijs.*
78. *Debitor cedere nequit, quando creditores renunciârunt juri incarcerandi.*
79. *Minor an cedere poſsit?*
80 *Hæres non conficiens inventarium an cedat bonis?*
81. *Ceſsio non eſt permittenda, niſi ad inſtantiã creditorum.*
82. *Beneficium competentiæ habentes an cedant bonis?*
83. *Locupletior factus poſt ceſsionem iterum non cedit.* 84. Ratio.
85. *Solvere tamen non tenetur, ſi modicum tantum acquiſiverit.*
86. *Vel ſi quid miſericordiæ causâ ei relictum.*
87. *Nec vltra id, quod facere poteſt.*
88. *Quid ſi autem modo ignominioſo ceſsiſſet?*
89. *Vel aliter punitus fuiſſet corporali pœnâ?*

90. *Cedere debitor nequit, antequam debitum agnoſcat, & fateatur.*

91. *Cedere an poßit, qui beneficio ceßionis renunciavit, vel ſe ad carceres obſtrinxit?*

92. *Digreßio ad vlteriora.*

HÆc quæſtio generaliter intellecta extra propoſitam materiam videri poſſet, quia de iſtis ſolummodo mihi ſermo eſt, qui calamitate belli fuerunt depauperati, non de debitoribus in communi, *argt. prin. inſt. de legat.* Nihilominus tamen nolo me vni certæ materiæ ita alligare, vt non liceat aliquando parum exſpa-
1. ciari. Quemadmodum * enim in decade prima, ne quid materiæ carcerum & carceratorum deeſſet, terminos inſtituti mei nonnihil tranſgreſſus fui, ita quoque hoc loco excurrere volui, vt materia ceſſionis bonorum plenè examinata in vnum quaſi colligeretur. Imò ſi rem accuratiùs perpendere velis, reperies hanc quæſtionem non modò non ſupervacaneam, ſed pro intellectu anteceden-
2. tium & ſubſequentium * valde neceſſariam eſſe.

Dum enim Primò caſ⁹ illos cognoſcis, quibus debitores, ne volentes quidem, ad ceſſionem bonorum admittuntur, eadem operâ
3. intelliges, * in quibus caſibus potiſſimum adhuc

adhuc hodie carceribus rectè mancipentur; *vid.decad.1.q.7.n.97.* (niſi ſpeciali quadam ratione prohibeantur.*d.q.7.per tot.* & *q.9.n.54. v.videntur cum ſeqq.*) Deinde illi ipſi, qui flebili *ceſſionis beneficio carent, ſublimi beneficio Novellæ 135.& privilegio, quod vocamus competentiæ, pari, imò majori ratione vt plurimum carebunt, juxta reg. ſupra *in q.3.limit.5.* traditam: privatus * minoribus, majoribus gaudere non debet, *L.cui pacto 5.ff. de ſerv.exp.* 4. 5.

Et quamvis plures alij pleroſque hos caſus exactè tradiderint,& in vnum collegerint, videlicet Mynſ.Schneid.Harpr.Ioan.Fab.Ioan. de Platea *ad §. fin. inſt. de action.* Matthæus Brunus *in tract.ſuo de ceſſ.bon.q.4.per tot.* Greg. Tholoſ.*in ſyntagm.jur.p.3.l.22.c.9.& 10.* Barthol.Socin.*reg.65.& 68.* non gravabor tamen ego breviter quoq; illos & in compendio recenſere. Itaq; cedere bonis non poteſt

Primò: qui obligatus * eſt ex delicto, vel quaſi-delicto ad pœnam pecuniariam, veluti qui furti, injuriarum, ſimilive actione convenitur, *argt.c.Epiſcopis §. libertis 12.q.2.* Tholoſ.*c.10.n.1.* Socin.*reg.65.fall.9.* Covarr. *var.reſol.l.2.c.1.n.8.* Matth.Brun. *q.17. quartæ quæſt. princip.per tot.* Harpr.*loc.cit.n.6.* Schneid.*n.6.* Mynſ.*n.13.* Jul.Clar. *§.fin.q.95. verſ. ſed pone 5.* Soarez, *commun.opin.lit.C.num.45.* Kirchov. 6.

cent.1.concluſ.60. Tholoſ. *deciſ.467.* Boer. *deciſ.349.num.8.* Gomez.*var.reſ.c.11.num.52.* Petrus Peckius *de jur.ſiſt.c.5. num. 16.* Joan. Herm. Stamm *de ſervit.perſ.lib.1.c.4.n.27. verſ. qui 4.* vbi ampliat: etiamſi privilegiata perſona fuerit. *vid.ſup.decad.1.q.4.n.12. decad.2.q.3.n. 23.decad.3.q.7.n.3.& ſeqq.*

7. Rationem reddunt hanc: ne delictum * maneat impunitum, *L. ita vulneratus 51.ff. ad Leg. Aquil. L. in delictis 4. §. cum dominus 2. eod.* Weſenb.*n.1.in f.ff.de dolo.* Schneid.*num.6.* & quod habeat locum vulgata regula: qui non

8. * habet in ære, luat in corpore *L. generaliter. ff. de pœnis L.pen.ff.de in jus voca. L. ſi quis 2. §. in ſervos 3.ff.de juriſd. L.1. §.1.ff.de tor. L. ad cognitionem 13. ff. de ceſſ.bon.* Greg. Tholoſ.*c.10.n.10.* Schneid.*n.6.* Socin.*reg.65.fall.9.* Mynſ.*n.10.n. 13.* Harpr.*n.6.* Ex quo poſt Fab. Mynſ. *loc.cit.*

9. Infert: in cauſa * injuriarum condemnatum, ad pœnam pecuniariam, licet bonis cedere malit, quam pœnam ſolvere, nõ eſſe audiendum, ſed puniendũ in corpore, etiamſi civiliter ad pœnam pecuniariam quis ex delicto conveniatur, Plat.*n.6.* Fab.*n.5.* Schneid.*n.6.* dicit tamen Cujac.*in f.parat.C.qui bon.ced.* rectè *ex l.vlt.C.de cuſtodia reor.* inferri, etiam in cauſa criminali ceſſioni bonorum locum eſſe. Alij autem plenius diſtingunt &

Limitant primò: vt ea quæ dicta ſunt, procedant

cedant tunc, quando mulcta ex delicto eſt applicanda fiſco, nō etiam ſi parti, tunc enim * non poteſt commutari in pœnam corporalem, niſi actore conſentiente, *argt. c. fraternitas 12.q.2.* Greg. Tholoſ. *c.10.n.1.* ſed expectanda eſt pinguior rei fortuna, idem per *c. Odoardus, extra de ſolution.* Covarr. *loc. cit. n. 8. verbo. hac verò.* 10.

Limitant ſecundò: vt procedat tùnc, quando agitur vel ad pœnam * tantum imponendam, veluti in furto, vel ad pœnam & intereſſe ſimul, quod tunc, ſi placet actori, pœna pecuniaria in corporalem poſſit converti, *per d. c. fraternitas 12. q. 2.* Secus ſi debitor convenitur ad præſtandum id, quod intereſt, tunc enim poteſt bonis cedere, poſt Joan. And. *ad c. Odoardus* Greg. Tholoſ. *loc. cit.* Adeoque in pœna, quæ reſpectu debitoris tantùm eſt pœnæ, reſpectu autem creditoris rei perſecutio, & ei damni illati loco addicitur, ceſſioni bonorum locus eſt, neque illa ob delinquentis inopiam in corporalem mutanda, Harpr. *loc. cit. num. 7.* 11.

Et quamvis Covarr: * contradicat, & putet doctrinam noſtram procedere non tantum, vbi quis ob crimen mulctatur in propriam & veram delicti pœnam, ſed etiam tunc, cum pœna eſt ſatisfactio & emendatio, æſtimatioque damni ipſo crimine proximo 12.

mo illati, *per c. finem litibus, de dol. & contumac.* tamen poſtea dicit, quod in Regno Hiſpaniæ ex conſtit: Caroli V. damnatus criminis causâ ad pecuniæ ſolutionem pro damno actori illato, & pro vera damni æſtimatione, poſſit bonis cedere, eoque beneficio ceſſionis à carceribus publicis liberari, non aliter, quam ſi ea pecunia ex contractu & civili obligatione deberetur. Idque ait veterum IC. reſponſis non omninò obviare, quamvis fateatur apud judices Regiarum Curiarum non obſervari, & etiam in hac pœna delinquentem ad ceſſionem non admitti.

13\. Vnde infert Harprecht *n. 7.* debitorem *ex lege Aquilia, qui propter inopiam damnum, quod dedit, alij reſarcire non poteſt, ad ceſſionem admitti, additque rationem hanc: quod reſpectu creditoris non ſit pœna, ſed rei perſecutio, & quod cuivis cedere liceat, niſi prohibeatur; atqui nulla lege bonis cedere prohibetur ille, qui non ad veram pœnam, ſed talem, quæ ex parte creditoris rei perſecutio eſt, tenetur. *vid. eund. n. 8.* vbi ad argumentum *ex c. finem litibus 5. de dolo & contumacia* deductum reſpondet, ibi expēſarum pœnam non ſolum damni emendandi causâ, ſed ob id quoque introductam eſſe, vt temerarius litigator juſtam temeritatis ſuæ pœnam ſuſtineat.

Secun-

Secundò bonis cedere non poteſt ille debitor, qui ad factum * eſt obligatus, qui v.g. 14.
promiſit librum ſcribere, foſſam fodere, aut operas alias præſtare, *per L. in ſtipulationibus §. fin. ff. de V.O. & L. ſtipulatio §. ſive autem ff. de operis nov. nunc. vid. inf. decad. 3. q. 7. n. 64.* Tholoſ. *c. 10. n. 2.* Socin. *reg. 68. fall. 7.* idem Socin. *reg. 65. fall. 7.* Fab. *n. 4.* Platea. *n. 9. & 10.* Schneid. *n. 8.* Harpr. *n. 9.* Mynſ. *n. 11.* vbi *n. 12.* rationem reddit eandem, & ijſdem fere verbis, quam & quibus verbis eam Tholoſ. *loc. cit.* Joan. Fab. *n. 4.* refert: etenim quando quis ad ceſſionem admittitur, id fit ex impotentia ſolvendi, atqui in eo, qui ad factum tenetur, ceſſat hujuſcemodi impotentia, ſi modò factum & operas explere poteſt, vt ſuppono, ergo cedendo non erit immunis: ex quo enim facere poteſt, & non facit, conſtat, quod eſt in dolo *per L. dolus ff. mandati.* Æquum tamen * eſt ei ſum- 15.
ptus ſubminiſtrari, ſi ad factum compellatur *per L. ſuo victu. ff. de operis lib. vid. ſup. quæſt. 7. num. 36. vid ſup. q. 6. num. 86. & 87. q. 7. num. 35. & ſeqq.*

Quid ſi autem * factum ei impoſſibile ſit 16.
præſtare, & tamen non poſſit intereſſe ſolvere? hoc in caſu arbitrantur Jaſon. Fab. Mynſ. & Tholoſ. ceſſioni locum eſſe. Confer notata ſupra *q. 8. decad. 1. num. 7.* vbi dixi ceſſionem habere locum, in obligatione dandi non facien-

faciendi, vid.Brun.*q. 4. quart. quæſt. princip. per tot.*

17. Tertiò: bonis cedere non poteſt * debitor fiſci *per L.2.C.de exact.tribut.L.ſacrileg.§.fin.in f.ff.ad L.Iul.pecul.* Guid.Pap. *deciſ.211.num.3.* Gomez. *var. reſolut.c.11. n.51.verbo,adeo quod vnum l.2.* Boer.*deciſ.349.* Socin.*reg.65.fall.8.* Schneid.*n.7.*Tholoſ.*num.3.* Dornſperg.*in ſyntagm.jur.l.2.p.2.c.5.* Peckius.*loc.cit. vid inf. decad.3.q.7.n.79.*

18. Et ſiquidem de debito ratione * criminis agatur, res non habet difficultatem, nam quamdiu non ſolvit, tamdiu carceribus conſtringitur; Matth.Brun.*q.9.quart.quæſt.princ. n 3.* per Rationem: ne delictum maneat impunitum, & quia luere debet in corpore, ſi nō habet in ære, ſi ſit debitor ex contractu, vel quaſi, tunc bonis cedere poteſt *id.loc.cit.n.5. & 6.vbi ampliat & limitat:* ſi autem ſit debitor

19. tributorum, * non debet quidem carcerari, ſed ſi contumax eſt, honeſtè ſub cuſtodia detineri, *per L.nemo.C.de exact.tribut.* Aufrer.*in deciſ.capell.*Tholoſ.*n.28.*& Tholoſ.*lo.cit.*Brun. *q.9.quart.q.pr.n.2.vid.dec.1.q.5.n.14.*verum alij diſtinguunt, vt in ſeqq.

Communiter Limitant in eo caſu, quò paupertas excuſat, Joan.Bapt. *Nic.in regulis,v. cedens bonis.fall,8.* Socin.*ibid.fall.8.* Tholoſ. *loc. cit.*

Quar-

Quartò: qui ad * tributum ſeu collectas obligatus eſt, bonis cedere nequit, *per L. optimam.inf.ff.man.* Gloſſ.*in L.incola ff.ad municip.* Socin.*loc.cit. reg.65.fall.4. & reg.68.fall 4.* Schneid.*n.7.* Mynſ.*n.14.* Amplia: vt ſi jam ad ceſſionis beneficium fuiſſent in fiſci fraudem admiſſi, non obſtante ceſſione ad collectarum ſolutionem compelli debeant, & onera publica pro bonorum quantitate ſubire, Brun.*q.9.quart.quæſt.princ.n.1.* Tholoſ.*c.10.n.4.* vbi verum eſſe, & tunc procedere dicit, ſi ſolvendo ſit, & cedere velit, ſi verò non eſt ſolvendo, cedere poterit; Brun.*loc.cit.n.2.* Quare autem ſubditi volentes cedere bonis propter collectas, quæ imponi ſolent pro modo patrimonij per æs & libram, non audiantur, Rationem * affert talem: quia habent vnde diſſolvant ſufficiens patrimonium, cujus ratio habetur, & doloſè onus diffugere videntur. Rationem non abſimilem tradit Brun. *loc.cit.n.4.* vbi addit: reo in contumacia perſiſtente bona ejus per fiſcũ vendi. Et quamvis dicat poſt Alberic. mirabile eſſe, quod prius perſona detineatur, quam bona capiantur, ego tamen non miror, per tradita ſup. *decad.1. q.5.n.14.* vbi dixi contumacem ſtatim poſſe mitti ad carcerem tœdialem, & cuſtodiam liberam. Subnectit quoq; Tholoſ.*loc.cit.* Principes * quandoq; onera tam gravia indicere, vt ſæ-

20. 21. 22.

vt ſæpe incolæ cogantur res ipſas relinquere, & aliò migrare, & non tam bonorum ceſſio-
23. nem, quam diſceſſionem facere. Et * non deſunt, qui ſimpliciter dicunt, fiſcales debitores ob tributa ceſſione bonorum liberari poſſe à carcere. Joan. Fab. Cyn. Bart. & Joan. de Platea, quos allegat, Tholoſ. *loc. cit.* Brun. *loc. cit. num.* 2.

24. Quintò: non auditur is, qui * vellet cedere, ne publicis muneribus fungi deberet. *text. in* L. 5. C. *qui bon. ced. poſ.* Mynſ. *num.* 14. Schneid. *n.* 7.

25. Sextò: ſi quis eſt obligatus * ad onus perſonale, cedendo bonis non liberatur, *per L. cum fructuarius ff. de vſuf.* Socin. *fall.* 1. licet illud onus ſit occaſione rei, *per d. L. cum fructus* vbi Gloſſ. Socin. *reg.* 68. *fall.* 1. Ratio autem, cur pro oneribus & muneribus perſonalibus ceſſio fieri nequeat, aſſignatur à Greg. Tholoſ.
26. *c. 10. inf.* talis: quod inops * propter neceſſitatem non habendi onera patrimonij non ſuſtineat, corpori autem indicta obſequia ſolvat, *L. 4. §. inopes ff. de mun. & hono*: vid. ſupr. *decad. 1. q. 9. n. 180. cum ſeqq.* quodque per-
27. ſonalia * munera in ſolicitudine animi principaliter, & vigilantia potius, quam ſumptibus conſiſtant, *L. 1. §. illud. de mun. & hon.*

28. Septimò: ſi debitor * eo tempore, quo cõtraxit, ſciebat ſe non eſſe ſolvendo, non juvatur

tur poſtea beneficio ceſſionis, *argt. L.pen. inf. ff. de jur. dot.* Greg. Tholoſ. *c.9.n.f.* Pet. Peckius *loc. cit.* Socin. *fall.7.* Mynſ. *num.15.* Dornſperg. *loc. cit. n.7.* Matth. Brun. *q.4. princ. q.31. per tot.* vbi concluſionem ponit: quod debitor, qui tempore contracti debiti pauper erat, & ſciebat ſe non eſſe ſolvendo, ad refugium ceſſionis non admittatur. *vid. decad.1. q.7. n.99. decad.2. q.3. n.20. inf. decad.3. q.7. num.21. & ſeqq.* Quam poſt Caſtrenſ. declarat, & putat locum habere, quando * debitor aſſerendo ſe habere idoneas facultates creditorem ad ſecum contrahendum dolo induxit, vid. Stamm. *n.21. c.3. l.1. & num.27.* vt ita ratio hujus ſit fraus & dolus in contrahendo commiſſus, *id. num. 2.4. & 7.* vnde à contrario *d. num 4.* Infert: ſi dolus non interveniſſet, tunc videretur creditor cum eo contrahendo eum velut idoneũ approbaſſe. 29.

Octavò: ab hoc beneficio reijciuntur, qui ſpe ceſſionis * contraxerunt, *argt. L.pen. inf. ff. de jur. dot.* Dyn. *in reg. peccatum, de R.I. in 6.* Matth. Brun. *q.30. quart. quæſt. princ. per tot.* Greg. Tholoſ. *c.9. n.10. id. c.15. num.3.* Schneid. *num.10.* Mynſ. *num.15.* Socin. *fall.18.* Harpr. *n.10.* Pet. Peck. *loc. cit.* quemadmodum in ſimili, ſi quis * mutuaſſet pecunias ſub vſuris ſpe veniæ à debitore vel à Principe conſequendæ, ob damnatam ejus intentionem bonorum 30. 31.

ceſſionis beneficium perdit, Brun. *q.18. quart.*
32. *quæſt. princ. num.2.* Ratio: quia * ſpe beneficij vel privilegij peccans privilegio non gaudet, *L. pen. ff. de jur. dot. c. f. extra de immun: Eccleſ. L. 10. C. de ferijs.* Quod declarat Mynſ. *num.15.* Stamm. *d. n. 27.* ſi eò ſecuriùs negotiatus eſt, & Tholoſ. *d. n. 10.* ſi de ea voluntate liquidò appareat. adde Harpr. *n. 10.* vbi exiſtimat, veriſimile eſſe, eum qui contractus tempore ſciebat ſe non eſſe ſolvendo, ſpe ceſſionis contraxiſſe. *conf. decad. 3. q. 7. poſ. 5. n. 32.*

33. Nonò: cedere * nequit, qui ſolvendo eſt, vel dives, vel qui plenariè habet, vnde ſatisfaciat, Socin. *reg. 65. fall. 11. & reg. 68. fall. 7.* Schneid. *num. 12.* Greg. Tholoſ. *p. 3. ſyntagm. c. 8. num. 1.* Brun. *q. 16. quart. quæſt. princip. per tot.* vbi *num. 2.* rationem aſſignat: quia pro civi-
34. li debito ad capturam * non devenitur, niſi prius factâ bonorum excuſſione, & ſi bona non reperiantur; ſi ergo bona reperiuntur pro ſatisfactione creditorum, ad bonorum ceſſionem deveniri non poterit. Refert tamen. Socin. *loc. cit.* aliquos, qui volunt etiam divitem cedere poſſe.

Decimò: ceſſionis beneficio non juvatur
35. * debitor, qui alienavit & diſſipavit bona in fraudem creditorum, *L. fin. §. fin. ff. de his qui in fraud. cred. per L. 4. verbo, actor. ff. de re jud. L. fin. vbi Dd. de juriſd. omn. jud.* Schneid. *n. 9.* Socin.

fall.

fall.5. Tholoſ.*c.9.n.10.* Joan. Herm. Stamm. *d.num.27.* quia nemini * fraus & dolus patro- 36.
cinari debet, vid. Matth. Brun. *q.5. quart. quæſt. princ. n.4. & 5.* vbi docet: eos carceri intrudi debere, tradit præterea, quando præſumatur in fraudem alienaſſe, confer *decad.1.q.7. num. 98. quæſt.9. num.19.* A prædictis non differunt ſeqq.

Vndecimò: Legis Juliæ beneficium ad fraudatores & decoctores, * id eſt, eos, qui ne- 37.
quitiâ ſuâ, luxuriâ, luſu, prodigalitate, aliove inhoneſto modo bona perdiderunt, non pertinet, vid. *decad.1.q.5.n.97. cum ſeqq. n.101. cum ſeqq. q.7. n.98.* verum ad eos qui ex accidenti, vi majore aliquâ, veluti incendio, naufragio, vel hoſtili incurſu fortunis everſi fuerunt *per L.1. C. qui bon. ced. poſſ.* jus Bavar. *tit.13. art.5. & 8.* (vel aliquali ſuâ culpâ per *not. ſup. q. 1. n.5. vid. ſup. decad.2. q.3. n.15. & 20.*) illi enim, qui datâ operâ rationes conturbant, à ceſſione ad carcerem remittuntur, Policey-Ordnung / Anno 77. *tit.23.* Matth. Steph. *ad Nov: 135. n.6. & 7.* Greg. Tholoſ. *c.9. n.13.* Socin. *reg.68. fall.5.* Stamm. *dict. num. 27.* Matth. Brun. *q.18. quart. quæſt. princ. num.1. id. q.28. per tot. id. q.20. quart. quæſt. pr. n.6.* vbi exemplificat in marito, qui doloſè alienavit, ſeu bona diſſipavit in fraudem ſuæ vxoris, *vid. eund. q.27. quart. quæſt. pr.*

 num.2.

num.2.item q.4.n.f. Tholoſ.*c.9.n.10.* confer ea, quæ ſcripſi ſupra *decad.1.q.5.n.98.& n.114.* vide etiam Hotoman. *q.26.* vbi rationem reddit ex *L.interdum 56.§.1.ff.d.furt.& L.pen.ff.de condict.cauſ.dat.* vbi fures corporali ſupplicio af-
38. ficiuntur,* quo in numero probabile eſt debitores, qui non fortunæ injuriâ, ſed ſua culpâ & nequitia ad egeſtatem redacti fuerunt, habitos fuiſſe. Confer ea quæ notat Tholoſ. *c.9.num.12.*& ego notavi ſup.*decad.1. q.5.n.53. & num.99.q.9.num.15.* Rationem aliam red-
39. dit Harprecht. *num.25.* quia * criminoſus ſemetipſum pœnæ ſubdidiſſe intelligitur, neq; damnum ſentire videtur is, qui ſuâ culpâ ſentit,adhuc aliam Brun. *q.28. quart.quæſt.princ.*
40. *num.3.* quia non eſt * æquum, quemquam ex proprio dolo vel delicto relevari,&præmium reportare,*L.verum.§ tempus autem.ff.pro ſocio,* vbi amplius dicit, talem poſſe extra ordinem puniri,& incarcerari, ac debere in carceribus mori. *n.1.& 5.* non abſimilem rationem tradit Tholoſ. *c.9.n.10.* quia nemini fraus & dolus patrocinari debet.

41. Duodecimò : Nec illi * quidem cedere poſſunt,qui partim ſuâ culpâ, partim fortunæ vitio decoxerunt, Harprecht.*num.27.*per auctoritates & rationem, quas allegavi ſupra *q.3.limit.3.*quia hos admiſta culpa deploratos, adeoque miſeratione indignos reddere putatur,

tur, idque de jure Bavarico omni dubio caret, ſecundum quod non aliter cedere poteſt, niſi caſu inevitabili depauperatus ſit, wann er auß vnvermeidentlicher Noth / vnd vnfürſehenem Vnglücks-Fall zu ſolcher Armut kommen / daß er nicht bezahlen kan / *tit.13.art.5.* Sed de jure communi non videtur beneficium ceſſionis amittere, ob culpam commiſſam, Brun. *q.15. quart. quæſt. princ. n.6. & q.29. quart. quæſt. princ. per tot.* vid eundem diſting. *q.20. quart. quæſt. princ. n.32. & 33.* Confer notata ſup. *q.1. decad. 2. num. f. q.3. num.15. & 22.* inf. *hoc q. n.45. q.9. num.121.*

Decimo tertiò: ad beneficium ceſſionis non admittuntur menſæ argentariæ everſores, quos vocamus bancorottos, * fallitos, 41. fraudatores, idq; propter eorum dolum, & quia ceſſio miſerorum eſt, Matth. Brun. *q.5. quart. quæſt. princip. per tot.* Pet. Peckius *d. c.5. n.16.* Greg. Tholoſ. *c.9. n.11.* vbi rationem reddit: iſti quippe cedunt foro doloſè, & multorum pecunijs interceptis contra fidem publicam, quam dederunt, cum multorum pernitie ſolum vertunt. Conſimilem rationem reddit Benevenu: Strach. *in tract. de decoctor. p.3. n.9.* quia * ceſſio eſt miſerorũ ſubſidium, 42. non autem præſidium doloſorum, Brun. *d. q. 5. n.3.* Et cum dolo malo decoctor bona alienaverit, adeo vt reperiri nõ poſſint, indignus

 * eſt

43. * eſt legis beneficio, quia in legem commiſit, *L. ſed etſi. §. interdum ff. quod cum eo.* vide de his etiam Matth. Stephan. *ad Nov. 135. in fin. & n. 6. cum ſeqq.* & quæ notavi ſupra *decad. 1. q. 5. n. 101. cum ſeq.* Vnde

Decimo quartò: generaliter loquendo, qui in dolo eſt, cedere non poteſt, debitor ni-
44. mirum * fraudulentus & doloſus, vide quæ notavi ſupra *decad. 1. quæſt. 9. num. 20. decad. 2. q. 7. num. 7.* Dornſperg. *c. 5. n. 5.* poſt Boër. *deciſ.*
45. *215.* Brun. *q. 21. quart. quæſt. princip.* vbi * exemplificat in muliere, quæ tempore promiſſionis dotis in dolo fuit, cum ſciret ſe dotem promiſſam ſolvere non poſſe, *per L fin. in gloſſ. ff. quæ in fraud.* Sic ſi dolum vel latam culpam (*vid ſup. q. 1. inf. q. 3. num. 15.*) ſocius commiſerit, perdit beneficium ceſſionis, Brun. *q. 24. q. 4. princip.* vbi dicit: is enim qui doli ratione convenitur, ceſſionis refugium non habet, idem repetit *q. 28. n. 1.* confer notata ſupra *decad. 1. q. 5. n. 117.*

46. Decimo quintò: ſpolians aliquem * non auditur recurrens ad beneficium ceſſionis,
47. Tholoſ. *c. 9. n. 14.* per rationẽ: indignus * quippe eſt legis beneficio, qui contra leges facit, *L. 1. C. vbi ſenatores vel Clariſſimi L. 3. C. de Epiſcop.*
48. *audientia.* cum & jura non * decipientibus, ſed deceptis ſubveniant, *L. 2. §. ſed ita 3. ff. ad SC. Vellej. L. ſi mulier 23. ff. eod. c. inter dilectos 8. extra de donat.*

De-

Decimo ſextò: quando debitor ab initio negaſſet * debitum, & poſtea fuiſſet convi- 49.
ctus & condemnatus, non gauderet privilegio ceſſionis, *argt. L. ſed ſi ex parte 4. §.1. ff. quod cum eo, qui in aliena, & L. ſed hoc ita 22. inf. ff. de re judic:* vide Matth. de Afflict. *deciſ. Neapol. 296. & 379. n. 4.* Kirchov. *cent. 2. concluſ. 20.* Schneid. *n. 13. & 15.* Socin. *reg. 65. fall. 16.* Pet. Peck. *cap. 5. num. 16.* Mynſ. *n. 8.* vbi dicit, eum prohiberi cedere, qui non agnoſcit debitum, ſed illud diffitetur, ita vt non poſſit conſtare, num debeat creditoribus, nec ne. vid. ſup. *q. 7. n. f. inf. hac q. n. 90. decad. 3. q. 7. n. 42.* Greg. Tholoſ. *c. 8. p. 3. n. 1.* Joan. de Platea *d. §. f. n. 1. inſt. de act.* Ratio poteſt eſſe ipſa pœna mendacij, & doloſæ inficiationis, nam mendaces * ode- 50.
runt jura, *argt. L. 7. C. de diverſ. reſcript. L. 5. C. ſi contra jus.* & mendacium * necat privile- 51.
gium, *L. pen. C. d. T. L. ſi dubitet. 10. §. 1. ff. de fidejuſſ. L. 1. §. interdum. 15. ff. ſi quadrup. L. ſi vnus 67. §. fin. ff. pro ſocio.* Sic Matth. Brun. *q. 27. quart. quæſt. princ.* in ſimili dicit, quando donans negaret bona, de quibus lis eſt, donaſſe, eum, propter ſuum dolum ceſſionis beneficiũ perdere. De ſubſtantia itaque * ceſſionis eſt, fate- 52.
ri debitum, id eſt agnoſcere *L. pen. & fin. ff. de ceſſ. bon. vid. ſup. q. 7. num. 47.* vel in judicio, vel extra judicium, quibus paria ſunt, ſi non contradicat, ſed patiatur, ſe condemnari, ſi

fateatur coram teſtibus, vel Notario, Tholoſ.
53. *c.11.n.15.* Et quamvis * Harprecht. *n. 19.* repugnet, ob id, quod etiam judicatus, id eſt damnatus, bonis cedere poſſit, ne in carcerẽ detrudatur, *L.1. C. qui bon.ced.poſ.* ex quo putat evinci, debitorem, qui negavit debitum, hoc ceſſionis beneficio non privari; nam eum qui condemnatus eſt, debitum negaſſe oportuit; cum judicium * reddatur in invitum,
54.
55. & in * confeſſum nullæ ſint partes judicis, niſi condemnatio, *L. quidam ff. de reb.cred.* ad quod allegat etiam *text. in L. de ætate 11. §. vlt. ff. de interrog. in jur. fac.* Tamen his non attentis Greg. Tholoſ. *c. 11. num. 15.* in ſua perſtat ſen-
56. tentia, * quod ſi quis negaverit à principio, & fuerit condemnatus, & poſtea debitum confiteatur, confeſſionem hanc, ſi repugnet creditor, nihil prodeſſe ad impetrandam ceſſionem, excipereque poſſe ejus creditorem, ſe non acceptare confeſſionem, quia ei non ex-
57. pediat. Deinde quod vel ex eo, quod * in negatione vſque ad ſententiam perſtitit, dignus pæna ſit, & amiſſione beneficij propter mendacium. Ad textus in contrarium allegatos reſpondet, poſt ſententiam condemnatum ad ceſſionem admitti, videl: ſi vſque ad ſen-
58. tentiam * non fuit debitum inficiatus, ſed pœnituit, vel ſit is, qui inficiatur vſque ad ſententiam, juſtam tamen cauſam habens, vel dubi-

dubitandi, vel diffitendi, *argt. L. ſciendum. ff. de vſuris.* v.g. ſi fuit hæres defuncti, nam qui * 59.
in jus alterius ſuccedit, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere, *c. cum quis, d. R. I. in 6.* vid. Matth. de Afflict. *deciſ. 378. n. 1.* vid. Matth. Brun. *q. 2. princip. n. 6.* Fortaſſis * aliter ita re- 60.
ſponderi poteſt, condemnatum quidem inficiari debuiſſe, non tamen ſimpliciter debitum, ſed negando narrata, prout narrantur. Angel. Aretin. *ff. item ſi ſocius. inſt. de action.* Brun. *q. 24. quart. q. princ. n. 15.* Imò etſi maximè confeſſus fuiſſet, tamen judicari & ſententia ferri potuiſſet, quia hodie in confeſſis
* ſententià ſemper opus eſt, Weſenb. *n. 8. inf.* 61.
ff. de confeſſ.

Decimo ſeptimò: cedere prohibetur is, qui
* occultat bona debitoribus, vel ea manife- 62.
ſtare recuſat, Mynſ. *h. num. 10.* Schneid. *num. 15.* Platea *n. 4.* Angel. *ff. cum eo quoq; n. 8.* Stamm. *l. 1. c. 4. n. 27.* vid. ſup. *decad. 1. q. 7. n. 51. decad. 2. q. 2. n. 83. q. 7. n. 47.* nam cum confeſſione debiti tenetur quoq; debitor omnia bona vſque ad quadrantem indicare, & indicata relinquere, aliter non admittitur, *argt. L. fin. §. licentia. ff. de jur. delib. argt. L. 2. C. quando & quibus quarta pars l. 10.* Greg. Tholoſ. *d. c. 11. n. 16.* vbi rationem reddit: quia * ſubtrahens quippiam ex 63.
bonis, ſimilis eſt neganti, *L. hæreditatem §. fin. ff. ad L. Flav.* Rationem ſimilem tradidi ſupra

decad.1.q.6.num.29. quia cum teneatur omnia dimittere, qui bonis cedit, dolo facit, ſi quid occultat, vel retinet, *per L. dolus ff. mandati* Joan. Fab. *num.2. § f. inſt. de action.* Limita
64. * niſi ſine dolo malo, vel modicum celaverit, Vivius comm. opin. *l.1. v. debitor ceßionis in f.*

Decimo octavò: non tenetur creditor ceſ-
65. ſionem debitoris admittere, ſi lex * municipalis eam prohibeat, vid ſup. *decad.2.q.3.n.29.* quemadmodum teſtatur Greg. Tholoſ. *c.9. num.16.* in Gallia alienigenis denegari ceſſionis auxilium, & in Flandricis provincijs Belgas indigenas non aliter ad ceſſionem admitti, niſi impetraverint à Principe magnâ cum cautione, & multis interpoſitis conditionibus, ſic Brixiæ extat ſtatutum de non facienda ceſſione bonorum, Menoch. *de arbit. jud. quæſt. cent.2. caſ.183. n.9.* Sic in *decad.1.q.8.n.5.* dixi, Saxones debitorẽ non ſolvendo exiſtentem, condemnare ad manus creditoris, non obſtante ceſſione, ibidemq; rationem reddidi, conf. *q.3.n.29. ſup. h. dec.*

66. Decimo nonò: Deportatus * ſeu relegatus, & qui dicitur bannitus, proſcriptus, ſeu exul, cujus omnia bona fiſco applicata ſunt, cui poſtea bona & civitas reſtituuntur, non admittitur petens ad ceſſionem, *p. L. 2. & f.*

C. de

C. *de ſent. paſſis.* Greg. Tholoſ. *c. 9. num. 17.* Mynſ. *num. 16. §. fin. inſtit. de action.* Socin. *reg. 65. fall. 15.*

Vigeſimò: Obligatus * ad rē in ſpecie, bo- 67.
nis cedere nō poteſt, Matth. Brun. *q. 12. quart. quæſt. princip.* Ratio: quia ſufficit illam ſolam rem, quæ petitur vel vindicatur, dimittere, & ſic quod * poteſt fieri paucioribus, non debet 68.
fieri pluribus. Ariſt. *8. top.*

Vigeſimo primò: Cedere * non poſſunt 69.
emphytevta & feudatarius ſive Vaſallus, Socin. *reg. 65. fall. 2. & 3.* nam cedens bonis retinet emphytevſim & feudum, ſed non eorum commoditates. Idemq; eſt in bonis prohibitis alienari, Benedict. Vadus ad Socin. *loc. cit.* vid. eund. Socin. *reg. 68. fall. 2. & 3.* & quæ notavi ſupra *q. 1. num. 92. q. 6. num. 69.* Ratio autem hæc eſt, quia ceſſio * ad eum finem fit, vt 70.
bona ceſſa vendantur, & inde debita ſolvantur, atqui bona emphytevtica & feudalia alienari, conſequenter vendi, aut cedi non poſſunt.

Vigeſimo ſecundò: Beneficio ceſſionis vti amplius non poteſt, neque ad eam cogi, qui dilationem * quinquennalem obtinuit 71.
& acceptavit, *L. cum. ſolito 8. C. qui bon. ced.* Schneid. *num. 5.* vid. ſup. *q. 7. n. 27.* nam electâ dilatione quinquennali ceſſionis auxilio videtur renunciatum, Cujac. *inf. parat. C. qui*

bon.

bon.ced. Harpr. *n.22.* Item ſi debitor antea impetravit quinquennalem dilationem, * quæ
72. effluxit, poſt Matth. de Afflict. *deciſ. 378.* Dornſperg. *in ſyntagm.l.2 p.2. c.5.n.2.* Socin. *reg.65.fall.14.& reg.68.fall.8.* Harpr. *num. 22.* Matth. Brun. *q.26.princip.* Fichard. *in addit. ad Villal.l.C.n.33.* Graſſ. *l.1.c.12.q.5.* Ratio prioris cur non amplius pœnitere & ſponte cedere
73. poſſit, eſt: quia ad cedendum bonis * non debet inducere ſpontanea voluntas, ſed neceſſitas, *vid.ſup. q.7. n.18.* poſt conceſſas autem inducias nulla amplius eſt cedendi neceſſitas. Idque locum habet, ſi creditores inducias concedant; ſi autem Princeps, aſſignat Brun. *lo.cit.n.22.* hanc rationem, quare non amplius
74. ad ceſſionem cogi poſſit, quod de modico * præjudicio agatur, ex eo, quod jus creditoris non tollatur funditus, ſed ſolum ad certum
75. tempus differatur, vnde dici ſolet: id * quod differtur non aufertur, *L. quoties C. de precibus Imp. off.* vid. *decad.1. q.1. n.27.inf.q.9.num.118.* concordat Harpr. *n.23.* vbi ait: hoc vtile eſſe propterea: quia debitores ſe recolligere, rem ſuam augere, & creditoribus ſatisfacere poſſunt, *vid.decad.4.q.3.rat.4.q.5.indic.2.* Ratio
76. poſterioris, * quia is qui dilationem quinquennalē petit, cavere debet, ſe effluxo quinquennio ſoluturum, vt infra *decad.4.q.9.* dicam, ergo ſimpliciter neceſſe habet ſolvere.

Harpr.

Harprecht.*n.23*.Limita tamen * primum caſum,vt adhuc cedere poſſit,vel debeat, ſi major pars creditorum in ceſſionẽ potius,quam dilationem conſentiat *d. L.8*.& ipſis plus debeatur. 77.

Vigeſimo tertiò: neq; tunc * cedere poteſt debitor, quando creditores renunciaverunt juri debitoris incarcerandi,vel non petierunt debitorem incarcerari, Nicol. Boër.*deciſ.349. n.10.verſ.ſic etiam debitor*. Soarez. *com. opin.lit. C.num.43*. Vivius. *com.opin.verbo,debitor non poteſt*. Socin.*reg.65.fall.12*. quia tunc ceſſat ratio hujus beneficij ceſſionis, quæ eſt, vt non incarcerentur debitores, poſt Bald. *ad L.1.C. qui bon.ced.poſſ.* Socin.*loc.cit*. vid.tamen ſup.*q. 7.n.16.& ſeqq*. Quod in tantum extendit Covarr.*reſol.l.2.c.1.* vt putet ceſſionem fieri non poſſe,niſi eo tempore, quo ad requiſitionem creditorum debitor in carcere cuſtoditur *n.5*. Sed hoc eſt contra quotidianam praxin, & finem ceſſionis,quæ ideo introducta, ne debitores etiam condemnati ad carcerem trahantur,Menoch.*de arbit.jud.quæſt.caſ.183.n.8*. 78.

Vigeſimo quartò: hac * ipsâ de causâ minor cedere nõ poteſt ſecundum aliquos, quia incarcerari non poteſt, *vid.tamen ſup.decad.1. q.7.n.29.& 30*. & ſic ceſſat ratio hujus beneficij, idem Socin.*ibid fall.13*. 79.

Vigeſimo quintò: Hæres * dolo non con- 80.

ficiens

ficiens inventarium, cedere non poteſt, cum præſumatur voluiſſe fraudare creditores, *per §. Sancimus, auth. de hæred. & Falcid.* Socin. *loc. cit. fall. 10.*

81. Vigeſimo ſextò: Ceſſio nunquam *admittenda, niſi creditores inſtent & petant, Socin. *reg. 65. fall. 17.* per rationem: quia hoc beneficium eſt miſerabile & ſubſidiarium, ergo nō debet vltrò arripi. Hinc poſt Butrigarium tradit Greg. Tholoſ. *c. 9. n. 18.* voluntariè inopem cedere non poſſe, & quod ceſſio non aliter admittatur, niſi vrgentibus creditoribus, ſi velint carceribus mancipare, vel detinere debitorem, factâ bonorum diſquiſitione cum vicinis per apparitorē. Et quamvis repugnet Bart. dicit tamen Boër. *deciſ. 349. n. 8.* paſſim in Gallia Butrigarij ſententiam practicari. Sunt enim pleriq; deperditi homines (vt ait Mynſ. *n. 8.*) qui malunt bonis cedere, vbi fortè non cogerentur, quam commodare creditoribus. Sed de his in præced. quæſt. *num. 16. & ſeqq.* plura, vid. ſup. *q. 7. n. 6.* Matth. de Afflict. *deciſ. 379. num. 3.*

82. Vigeſimo ſeptimò: Cedere *nequeunt illi, (juxta quorundam opinionem, mihi tamen non ita probatam) qui habent beneficium competentiæ, ita vt non teneantur, niſi in quantum facere poſſunt, Schneid. *n. 10.* per rationem: quia ceſſat in ijs ratio ceſſionis, ſcili-

cet

cet detruſio in carcerem. de quibus itidem in ſuper. quæſt. actum, *vid. q. 1. ration: 11. per tot. n. 123. cum ſeqq. decad. 1. q. 5. n. 47.*

Vigeſimo octavò: Si poſt*ceſſionem debitor locupletior ſit factus, iterum cedere non poteſt, *per L. is qui 4. in princip. ff. de ceſſ. bon. L. ſi debitoris 7. ff. eod. tit. §. fin. inſtit. de action. L. cum & filiifam. 7. in f. C. qui bon. ced. L. ex contractu 3. in f. C. de bon. auct. jud. poſſid.* Gail. *l. 1. obſ. 43. num. 20.* Covarr. *l. 2. var. reſol. c. 1. num. 6.* ſed tenetur ſolvere. 83.

Ratio: * quia per ceſſionem obligatio non extinguitur, *inf. decad. 3. quæſt. 1. num. 131.* & ceſſio non impedit ſubſtantiam obligationis, ſed effatum durante inopiâ. Itaque ſuſpenditur tantum actio, donec ad pinguiorem fortunam debitor pervenerit, Greg. Tholoſ. *c. 13. num. 1.* quia beneficia Principis conceſſa eſſe intelliguntur, quantum fieri poteſt, ſine alterius ſaltem omnimodâ jacturâ; alioquin debitor perveniens ad ſecundam & proſperam fortunam fieret ditior, cōtra leges naturæ cum alterius damno. Hoc tamen 84.

Limit: Primò, *niſi modicum ſit, quod poſtea acquiſivit. *d. L. 7. §. fin.* verbo, quod idoneum emolumentum *inſtit. de action. L. qui bonis 6. ff. de ceſſ. bon.* Menoch. *de arbit. jud. quæſt. cent. 2. caſ. 183. n. 20.* 85.

Limit:

86. Limit: ſecundò, niſi * miſericordiæ cauſâ ei poſtea aliquid ſit in alimenta relictum, *d. L. 6.*

87. Limit: tertiò, niſi * vltra id, quod facere poteſt, conveniatur, ita, ut alimenta non retineat, Gomez, *var. reſol. l. 2. c. 11. num. 52. in princ.* cogendus enim erit, cum ad pinguiorem fortunam pervenerit, æs alienum ſolvere, ita tamen, vt ei deducantur alimenta, quibus ſatis cautum ſit egeſtati imminenti, Menoch, *loc. cit. n. 21.* Covarr. *l. 2. c. 1. var. reſol. n. 6.* vbi dicit, nec in foro animæ vlterius teneri.

88. Limit: quarto: vt is, * qui bonis ceſſit, actibus juxta loci conſuetudinem ignominioſis, non teneatur ſolvere debitum, quamvis pinguiorem nactus fuerit fortunam, cum ſatis eâ ipsâ ignominiâ fuerit punitus, & ea pœna loco ſolutionis ſufficiat, Covarr. *loc. cit.* Menoch, *loc. cit. n. 23.* Greg. Tholoſ. *p. 3. ſyntagm. c. 8. n. 6. vid. inf. decad. 3. q. 1. n. 99.*

89. Limit: quintò, idem eſſe, ſi quis aliter * punitus ſit corporali pœna loco pecuniariæ, quam prę inopia ſolvere non potuit, eò quod corporalis pœna loco totalis ſatisfactionis ſuccedat, Joan. de Platea *ff. f. n. 5. & 6. inſt. de act.* Covarr. *loc. cit.* vbi tamen ab hac opinione recedit, & debitorem adhuc in animæ judicio teneri exiſtimat, vid. eundem Covarr. *ad reg. peccatum p. 1. in princ. n. 2. verſ. hinc etiam & illud.* vbi plenius diſtinguit. Vi-

Vigeſimo nonò: cedere * quis nequit, an- 90.
tequam debitum agnovit, vel confeſſus condemnatuſve eſt, *L. qui cedit 8. ff. de ceſſ. bon.* Matth. de Afflict. *deciſ. 387. n. 2.* Covarr. *var. reſol. l. 2. c. 1. n. 5.* quia intereſt creditoris, ne ante fiat ceſſio; ratione probationum faciendarum de debito, quas hodie habet, & forſan in futurum non habebit, confer ſupra *num. 49. & q. 7. n. 47.*

Trigeſimò: cedere * non poterit, qui be- 91.
neficio ceſſionis bonorum renunciavit, vel ſe ad carceres obſtrinxit. Id quod eſt controverſum apud Covarr. *l. 2. var. reſol. c. 1. n. 7.* Greg. Tholoſ. *c. 15. per tot.* Schneid: *n. 13.* Joan. de Platea *n. 17.* Joan. Fab. *n. 8.* Capell. Tholoſ. *deciſ. 61. & deciſ. 231.* Vivium *l. 1. com. opin. verbo, debitor non poteſt.* Guid. Pap. *deciſ. 211.* Villal. *com. opin. lit. O. n. 7. in addit.* Coler. *de proceſſ. execut. p 1. c. 6. n. 39. 44. & n. 95. n. 122.* Harpr. *n. 11. cum ſeqq.* Bart. *l. 2. conſ. 116. n. 2.*

Sed de hac controverſia in ſuperioribus jam ſatis, vid. *quæſt. 6. n. 167. cum ſeqq. q. 10. n. 2.* Tempus * nunc eſt, vt à ceſſione tanquam di- 92.
miſſione bonorum vniverſali, gradum faciam ad ſpecialem, nimirum dationem in ſolutum, *vid. q. 9. num. 61.* de qua ſit

QVÆSTIO IX.

Vtrum moderni debitores calamitate belli depauperati cogantur, ſi aliud non habent, prædia ſua vendere, vel ea creditoribus in ſolutum dare?

SVMMARIA.

1. *Proceſſus antiquus contra debitores non ſolvendo exiſtentes.*
2. *Quomodo emendatus, & quare?*
3. *Patriæ ſalus ob vniûs creditoris avaritiam in periculum agi non debet.*
4. *Inſtrumenta ruſtica ob debitum capi ſi nequeunt, quare ipſi ruſtici?*
5. *Remedia varia ſubterfugiendi carcerem.*
6. *Remedium ceßionis.*
7. *Ceßio bonorum quare acerba?*
8. *Ceßio infamiam facti irrogat & quare? n. 9. cur non infamiam juris? n. 10.*
11. *Iuſtinianus Imp. anteceſſores ſuos humanitate ſuperare, & omnia in meliorem ſtatum reducere contendit.*
12. *Beneficium Nov: 135. quare introductum ſit?*
13. *Favendum vni non eſt, vt alteri fiat injuria.*

14. De-

14. *Debitoribus ita providendum, vt non creditores nimium graventur.*

15. *Temperamentum legum Iuſtinianearum.*

16. *Debitor inops prædia vendere, vel emptore nullo reperto creditori in ſolutum dare debet. n.19. n.31. Ratio. n.34.*

17. *Datio in ſolutum carcerem & ceßionem bonorum excludit.*

18. *Caſus ad declarandam præſentem quæſtionem propoſitus.*

20. *Quid interſit inter debitores ante & poſt bellum, vel durante eo, debita contrahentes?*

21. *Exempla non reſtringunt, ſed declarant.*

22. *Bellum Suecicum multos graviter afflixit.*

23. *Beneficium Nov. 135. non competit tantum debitoribus ex mutuo, ſed quolibet alio contractu.*

24. *Creditor quis dicatur?*

25. *Bonorum venditio & adjudicatio non habet locum in hypothecarijs tantum, ſed etiam chirographarijs creditoribus.*

26. *Creditor primariò pecuniam creditam, & in ſubſidium tantum prædia petere poteſt.*

27. *Mutui natura eſt, vt res ejuſdem qualitatis reſtituatur.*

28. *Paria ſunt habere, & habere poſſe.*

29. *Mobilia ante immobilia diſtrahenda, & quare? n.30.*

32. *Invitus nemo cogitur vendere rem ſuam, fallit, n.33. Ratio, n.38.*
35. *Fides nulla eſt, niſi ſit neceſſaria ſolutio rerum creditarum.*
36. *Eccleſiaſticæ res alienari nequeunt: limit: quando Eccleſia ære alieno gravatur.*
39. *Quid juris, ſi debitor cunctetur bona vendere?*
40. *Quid ſi emptor inventus fuerit?*
41. *Quid ſi non offerat juſtum pretium?*
42. *Paria ſunt nolle emere, & non velle juſto pretio emere.*
43. *Quid ſi nullus emptor reperiatur?*
44. *Prædia in ſolutum danda, & quare tunc primùm?*
45. *Prædia dantur in ſolutum pro quantitate debiti.*
46. *Adjudicatio bonorum ex Nov: 135. & ex præſcripto D.Pij in L.15.§.3 ff.de re jud. in quo differant?*
47. *Æſtimatio prædiorum in ſolutum dandorum quare à judice facienda?*
48. *Electio prædiorum quare creditori concedatur?*
49. *Qui gravatur in vno, non eſt mirum, ſi relevetur in alio.*
50. *Eccleſia debitrix non cogitur in ſolutum dare meliora, ſed mediocria.*

51. Evi-

51. *Evictio quare præſtanda à debitore prædia inſolutum dante?*

52. *Cautionem qualem præſtet debitor, ſi emptor reperitur?*

53. *Cautio qualis à debitore ſit præſtanda, ſi prædia in ſolutum offerat. & n. 55.*

54. *Creditoribus ita providendum, vt non debitores graventur.*

56. *Datio in ſolutum in quo conveniat cum ceſſione bonorum, & in quo differat. n. 57.*

58. *Ceſſio eſt ignominioſa, datio in ſolutum non item.*

59. *Datio in ſolutum transfert dominium.*

60. *Ceſſione factâ cedens non deſinit eſſe dominus bonorum ſuorum ante addictionem, vel diſtributionem pecuniæ.*

61. *Ceſſio bonorum eſt vniverſalis, datio bonorum particularis.*

IN ſuperioribus quæſtionibus aliquoties dixi, de jure * antiquo inductum fuiſſe, vt ſi debitor ſolvendo non eſſet, vel carceribus manciparetur, vel creditori ad operas præſtandas in ſervum quodammodo addiceretur, *vid. decad. 1. q. 5. num. 106. cum ſeqq. & q. 8. n. 10.* Matth. Stephan. *ad Novell. 135. num. 2* Quod jus poſterioribus legumlatorib⁹ durum nimis viſum, ac proinde ab ipſis * emendatum, illudque con- 2.

conſtitutum fuit, vt ſolutio ſolum ex bonis debitoris fieret, nec corpus quicquam pateretur, aut creditori addiceretur, *vid. ſup. decad. 1. q. 5. n. 111.* idque partim ob rationes ſupra adductas, partim vero ideo: quia debitores plerique vel milites ſunt, vel pagani. Si milites,
3. non * videbatur æquum, eos, qui pro patriæ ſalute pericula ſubirent, pro debitis in carcerem duci, aut ob vniûs creditoris avaritiam in periculum agi patriæ ſalutem. *vid. ſup. decad. 1. q. 7. num. 39.* Si pagani, incongruum erat, vt aratrum, aut aliud quodvis operi ne-
4. ceſſarium * inſtrumentum prohiberetur ob debitum addici creditori, corpora verò, quæ his vtuntur, permitterentur tradi, Gregor. Tholoſ. *ſyntagm. jur. p. 3. l. 22. c. 14. in fine. vid. inf. decad. 3. q. 4. num. 57.* Coler. *p. 2. c. 3. num. 153.*
5. Quà de causâ varia * remedia carcerem ſubterfugiendi fuerunt poſtea inventa, *vid. decad. 1. q. 7. num. 101.* aç inprimis à Julio Cæſa-
6. re beneficium * ceſſionis introductum, *L. legis Iuliæ 4. C. qui bon. ced. poſ.* id. Tholoſ. *c. 14. n. 1.* Matth. Steph. *ad d. Nov. 135. n. 4. id. ad Nov. 4. n. 32.* de quo ſat abundè, niſi fallor, egi in præcedentibus quæſtionibus. Sed quia ceſſio
7. quodammodo injurioſa eſt, & * acerba valde. *Nov. 4. c. quod autem 3. Nov. 135. vid. q. 6. num. 99. q. 2. n. 88. vid. inf. n. 58.* & licet ipſo quidem jure nullam irroget infamiam, *L. 11. C. ex quibus*

bus cauſis infam.irrog.L.vlt. C.qui bon.ced. Cujac. *ad Nov.4.* tamen infamia * ſaltem facti 8.
cedentem manet, Matth. Weſenb. *in parat.in f.de ceſſ.bon.* Franc. Hotom. *q.26.circ.f.* (quia * 9.
proſcriptio & diſtractio bonorum fit ſub haſta quaſi decoctoris, Cujac. *in parat.C.qui bon. ced.* & ipſa bonorum venditio debitori notam aliquam apud bonos viros afferre dicitur, §.*1.inſtit. quib.de cauſ.man.non lic.vide ſup. q.2.inf.num.88.vid.q.2.num.88.* itaque res non caret ſuggillatione aliqua, *per d.Nov.4.* Cujac. *ad Nov.135.* vbi propterea juris * infamiam 10.
excludit, quia etiamſi, qui bonis cedunt, bonorum venditionem patiantur; *L.3.& 5.ff. de ceſſ.bon.* tamen illis non invitis venditio fit, Matth. Stephan. *ad Nov.135.num.5.*) ideo * 11.
Imperator Juſtinianus, qui anteceſſores ſuos ſemper humanitate ſuperare contendit, §.*& quia 12. inſt.de fideicommiſſ. hæredit.* atque omnia in meliorem ſtatum reducere deſideravit, §.*3.inſt.de libertinis*, poſtea * in ſolatium, 12.
& favorem calamitoſorum debitorum beneficium Novell: 135. invenit, ne quis eorum cogeretur bonis cedere, de quo ſupra *in quæſt. 1.& 2.* Quia autem * favendum vni non eſt, 13.
vt alteri fiat injuria, *L.impuberi 40.L.cum filiusf.28.ff.de teſtam.milit.* & vndique * ita de- 14.
bitoribus providendum, vt non creditores nimium graventur, *argt. Novell.4.c.3.circ.f.*

15. ideo leges ſuas ita * temperavit, vt humanitatis, & pietatis de ſe ſpecimẽ præbentes, & egenorum neceſſitati mederentur, & creditoribus aliquod ſaltem, vel mediocre ſolatium afferrent. *Nov. 32. inf. Nov. 34. inf. vid. inf. n. 116.*
16. Quare conſtituit, vt ſi debitor * prædia haberet, ea venderentur, vel ſi emptor inveniri non poſſet, creditori pro quantitate debiti in ſolutum darentur, textus *in Nov. 4. c. quod autem 3. auth. hoc niſi. C. de ſolut.* Zanger. *de except.*
17. *p. 3. c. 1. n. 145.* hacque ratione * non tantum carcer, per notata ſupra *decad. 1. q. 7. n. 10. cum ſeqq. Cujac. ad Nov. 4. v. ſed ea ceſſio, &c.* verum etiam ipſa bonorum ceſſio vitaretur; *vid. ſup. decad. 1. q. 7. n. 105. & 106.* ne cum aliqua exiſtimationis imminutione, qui bonis ſatisfacere poteſt, cedere cogeretur, Weſenb. *in parat. n. f. de ceſſ. bon.* De hoc igitur beneficio Novellæ 4. in his duabus reſiduis quæſtionibus acturus præmittam pro majori intellectu caſum
18. talem. Quidam * ante bellum Suecicum credidit Titio centum florenos, & ab eo neque fidejuſſores, neque pignora accepit; nunc repetit creditum ſuum; Titius pecunias præ manu non habet; nulla eſt etiam in promptu res mobilis, quæ pro pecunia accipi poſſet, finge tamen eſſe prædia in bonis debitoris, quid fiet? cogitur ne debitor ea vendere, vel creditor in ſolutum accipere? Imperator reſpon-

ſpondet cum * diſtinctione, aut invenitur 19.
prædiorum emptor, aut non invenitur. Si invenitur, ei debitor vendere, & ex pretio creditori ſatisfacere compellitur: Si non invenitur emptor, creditor prædia pro quantitate debiti in ſolutum accipere cogitur. ita fere Cujac: *ad Nov: 4. v. vnus tantum caſus, &c.* Et quia in hac figuratione caſus quædam vel dubia, vel notatu digna occurrunt, priuſquam vlterius progrediar, paucis ea declarabo.

Dixi itaque primò: *ante bellum*, * non 20.
quod hoc beneficium non poſſit etiam competere illis, qui tempore belli mutuum acceperunt, ſed quia illi majori commiſeratione digni ſunt, ob id, quod adverſam iſtam fortunam prævidere non potuerunt; adeoq; ponere volui caſum, qui minus haberet dubietatis; nam in decade tertia *q. 8.* dicam, beneficia quædam non competere illis, qui tempore belli contraxerunt, idq; propterea, quia interitum ſuum veriſimiliter poterant & debebant prævidere.

Dixi ſecundò: *bellum Suecicum*, idq; exempli tantum causâ, quia igitur * exempla non 21.
reſtringunt, ſed declarant, *L. 9. §. 3. verſ. & licet municipium ff. de jur. & fact. ign.* ideo idem dictum volo de bello Bohemico, ac quovis alio: de eo * autem in ſpecie loqui volui, quod me 22.
& alios præteritis annis graviùs afflixit,

&cujus memoria tam citò non præteribit.

23. Dixi tertiò, *credidit*: quia hoc * beneficiũ non tantum locum habet, quando mutuum eſt geſtum, ſed etiam tunc, quando alius contractus eſt celebratus, & debitum quodcunq; contractum. Nam vt ipſe Imperator *in f. Nov.*

24. *4.* dicit, per creditorem * intelligimus non tantum eum, qui mutuavit pecuniam, ſed omnem illum, qui actionem contra aliquem habere poteſt, vid. Schneid. *§. item ſi quis n. 21. vſq; ad 23. inſt. de action.* Cujac. *ad Nov. 4. v. ſed porrigitur.*

Dixi quartò: *& neq; fidejuſſores, neq; pignora accepit*, ſolius debitoris credens ſubſtantiæ, quemadmodum loquitur Imperator in textu, vel vt Holoand. & Agylæi interpretatio, cum Scrimgeri græco exemplari collata habet, ſi quis fidem & facultates mutuantis ſe-

25. cutus, &c. vt ſignificarem bonorum * venditionem, vel adjudicationem non habere locum tantum in creditoribus hypothecarijs, quando petunt ſibi res hypothecatas jure pignoris adjudicari, vel in eas ſe immitti, vel omninò diſtrahi, ſibique jure dominij addici, de quibus DD. *ad §. contra autem 1. inſtit. quib. alienare licet, & tot. tit. C. de jur. dom. impet. item ſub. tit. de bon. auct. jud. poſſid.* verum etiam in perſonalibus, qui tantum actionem perſonalem habere noſcuntur, ob rationem, quam

paulò

paulò poſt aperiam. *vid. inf. q. 10. num. 16. & 3. ſeqq.*

Dixi quintò: *nunc repetit pecuniam*: quia
*primariò creditor id tantum, quod ſibi de- 26.
betur, petere poteſt, *argt. Nov. 4. ibi verum creditor ardeat aurum omni modo*, & in ſubſidium tantum prædia. Et quia de natura * mutui eſt, 27.
vt res ejuſdem qualitatis repetatur, & reſtituatur, *L. 2. §. 1. ff. de reb. cred. L. cum quid 3. ff. eod. vide quæſt. ſeq. rat. dub. 4. vid. inf. n. 44. & q. 10. n. 21. 22. 93. & 94.*

Dixi ſextò: *præ manu non habet*, ſubintellige neque etiam de facili habere poteſt, *argt. Nov. 135. §. jusjurandum tamen. argt. d. Nov. 4. ibi: illi verò non ſit facilè*, quia * paria ſunt ha- 28.
bere & habere poſſe, Angel. & Dd. *ad L. item conveniunt 20. §. petitam 11. ff. de petition. hæred. vid. q. 10. n. 52.*

Dixi ſeptimò: *Nulla etiam * res mobilis*, 29.
nam ſi debitor pecuniam non habet, quam reddat, rem mobilem creditori præſtet, ſi habet, *text. in auth. hoc niſi C. de ſolut.* Julianus Patricius *in interpret. Nov. noſtræ 4.* Cujac. *ad d. Nov. 4. f. 52.* & Matth. Steph. *ad eand. n. 32. & 33.*
Ideo * autem à mobilibus incipitur, vt ordo 30.
executionis in L. à D. Pio præſcriptus, quoad licet, ſervetur, & quia facilius emptor illorũ, quàm immobilium invenitur, vid. Coler. *p. 1. c. 6. n. 114.*

Quid

31. Quid * ſi autem neq; pecunia, neque vlla mobilis ſubſtantia, quæ facilè & vtiliter vendi poſſit, ſuperſit? quid tunc fiet? an miſerabilis debitor cogetur prædia ſua vendere, vel creditori in ſolutum dare? Ratio dubitandi
32. deſumitur ex vulgari juris regula: Invitus * nemo cogitur vendere rem ſuam, *L. nec emere. C. de jur. delib. L. Imperator 71. ff. de cōtrah. empt. L. invitum C. eodem.* Verum hac non attentâ Reſp. omninò hoc fieri debere, vt videlicet debitor vendat rem ſuam immobilem, ſi habet, & pecuniam debitam ex pretio rei venditæ ſolvat, poſt text: Julian. Patricius. Et in
33. hoc fallit dicta regula, quod * rem ſuam vendere nemo compellatur, *auth. hoc niſi C. de ſolut.* Socin. *reg. vendere 530. fall. 45.* Ratio prio-
34. ris poteſt dari iſta: vt * quantum poſſibile eſt, ſatisfiat debitoribus, Stephani *num. 36. vid. ſup.*
35. *q. 6. n. 145. q. 8. n. 70.* quia * fidem nullam eſſe, niſi ſit neceſſaria ſolutio rerum creditarum, ſcribit Cicero *l. 2. offic. vid. inf. n. 156.* & æquiſſimum eſſe, & jus gentium præ ſe ferre hanc vocem, redde quod debes, notat Seneca *l. 3. de beneficijs,* referente Matth. Stephani *ad Nov.*
36. *135. in princ.* Et quemadmodum * res Eccleſiaſticæ, quæ aliàs alienari ſunt prohibitæ, *L. ſancimus 21. L. jubemus junct. auth. hoc jus C. de SS. Eccleſ. t. t. Nov. de nō alien. aut permut. reb. Eccleſ. tot. tit. extra de reb. Eccleſ. al. vel non.* nihilo-

minus

minus in neceſſitate alienari poſſunt, ſi Eccle-
ſia * ære alieno gravetur, *text. in auth. hoc jus* 37.
porrectum in pr. auth. præterea C. d. T. ita * quo- 38.
que is, qui aliàs compelli non poteſt ad ven-
dendum, ob diſſolvendum tamen æs alienũ
cogi debet, *d. Nov. 4. & d. auth. hoc niſi.*

Ne autem nimis diu debitor * cunctetur 39.
vendendo, ideo creditor poteſt ipſe exhibere,
producere, & vt Imperator in text: loquitur,
præparare aliquem emptorem, vel eò debito-
rem adigere, vt in publica tabella in foro bo-
na ſua immobilia præfigat, ad inveniendum
emptorem, *vid. q. 10. n. 97. & ſeqq.* & ſiquidem
aliquis * inventus, vel exhibitus fuerit, neceſ- 40.
ſe habet ei debitor vendere (etiam non præ-
cedente judicis æſtimatione) & ex pretio cre-
ditori ſatisfacere, *text. in d. Nov. 4. ibi creditore
frequenter etiam divulgante, & ibi* Matth. Ste-
phan. *num. 34. & 35.* (quod verum eſſe intelli-
go, dummodo * juſtum & congruum pretiũ 41.
offerat, quia paria * ſunt nolle emere, & non 42.
velle juſto pretio emere. Schneid. *§ libertas n.
6. inſt. de ſing. reb. per fideicommiſſ. reuct. vid. n.
137. & q. 10. n. 100.*) Si autem emptor * nullus 43.
inveniatur, & nemo compareat, qui res ejus
immobiles compareτ (fortaſſis ideo, quia de-
terrentur hac cogitatione, bona pignori alte-
ri nexa eſſe. *text. in d. Nov. 4. ibi quoniam ſubja-
cent debitoris res,* tunc debitor ſanè prædia pro
quan-

quantitate debiti in ſolutum dare cogitur, ſed ita, vt præcedat juſta æſtimatio à magiſtratu facta, habeatque creditor electionem meliora prædia accipiendi; & vt debitor creditori caveat nomine evictionis. Ratio quare
44. tunc * primùm datio in ſolutum locum habeat, quando emptor nullus reperitur, eſt hæc: quia creditoris actio tendit ad ipſam pecuniam, & prædia debentur tantum in ſubſidium: Ergo quamdiu ſpes eſt pecuniæ ex vẽditione redigendæ, tamdiu addictio in ſolutum non habet locum, *vid. ſup. n. 26.*
45. Ratio quare dixerim *pro quantitate* * *debiti*, ſive (vt Agylæus interpretatur) pro crediti modo prædia in ſolutum debere dari, eſt hæc: quia ſi æſtimatio prædij non adæquet quantitatem debiti, creditor pro reſiduo adhuc actionem habet; & è contrario, ſi preciũ tranſcendat debitum, debitor habet repetitionem. Vno verbo: creditor in ſolutum accipit de bonis, vſque ad ſatisfactionem condignam, Angel. de Peruſio *ad Nov. 4. vid. decad. 1. q. 7. n. 13. inf. q. 10. n. 27. n. 111. cum ſeqq.* Et in
46. hoc differt * adjudicatio ex hoc capite *Nov. 4.* ab altera, quæ fit ex præſcripto *L. à D. Pio 15. §. 3. ff. de re jud.* vbi non habetur ratio hujus æſtimationis, rebus in cauſam judicati captis, neque ſupereſt creditori petitio reſidui, ſi ſcilicet res minoris ſit, quam creditum. Ratio differen-

ferentiæ eſt hæc: quia in Nov.4. agitur de creditore, qui invitus rem in ſolutum accipit, mallet enim pecuniam, quàm prædia: ſed L. 15. non loquitur de eo, qui invitus rem accipit in ſolutum, ſed qui eâ lege paſſus eſt rem ſibi addici, eaq́; velut conditione jus dominij in ea re petijt, vt velut pacto tranſegiſſe de credito videatur, poſt Balduin: & Rittershuſ. *n.10.* Steph. *h.n.37.* Aliam rationem differentiæ dicit Bart. *n.6.* eſſe hanc: quod hic debitor confiteatur, ibi verò reus neget, vide tamen Berlichium *p. 1. concluſ. 16. n. 43. cum ſeqq.* vbi nonnihil prædictis contrariatur.

Ratio cur debeat præcedere juſta & vera æſtimatio * à magiſtratu, eſt hæc: quia ſi pro 47.
eo pretio, quod creditor offert, prædia ei relinquenda forent, eveniret facilè, vt debitor injuſto & viliſſimo pretio cogeretur vendere, & in effectu bis ſolvere, *vid. q. 10. num. 103.* imò contingere poſſet, vt creditor ſtudio vanos rumores ſpargeret, pignori nexa eſſe bona debitoris ſui, *vid. ſup. num. 43.* eaq́; re ad emptionem accedere volentes deterreret, quò magis ei prædia pro exiguo pretio manerent. *per text. in d. Nov. 4. ibid. creditore frequenter etiam divulgante, quoniam ſubjacent debitoris res, & ob hoc terrente adire volentes emptionem.* prout eum poſt Scrimger. Holoand. & Agylæus interpretantur.

Alia

Alia ratio aſſignatur à Matthia Stephani *n.27.*vt conſulatur vtriq; parti, tam debitori, vt recipiat ſuperfluum, ſi pluris ſit prædium, quam ſumma debiti; quam creditori, vt ſi minoris ſit prædium, quam creditum, ſalva ſit petitio reſidui, *vid.ſup.n.45.*

48. Ratio quare creditor * electionem habeat meliora prædia vendicandi, affertur ab Imperatore in textu, ibi: rerum verò datio ſit „ hujuſmodi: quæcunque quidem meliora „ ſunt, dentur creditori, quæ verò deteriora, „ apud debitorē remanere ſinantur. Etenim „ non erit juſtum, dantem quidem aurum, „ recipere autem aurum non valentem, ſed „ coactum ſuſcipere poſſeſſionem immobi- „ lem, non ſaltem meliora rerum debitoris „ percipere, & per hoc habere conſolatio- „ nem, quia ſi aurum non recipit, aut alia re- „ rum, quæ portari poſſunt, tamen liceat eis „ poſſeſſionem non inutilem habere, *conf.* „ *decad.1.q.7.n.16.q.10.n.28.& n.119.* Quaſi di-

49. ceret, qui gravatur * in vno, non eſt mirum ſi relevetur in alio, *L. eum qui 30. in pr. ff. de jurej.* atqui creditor in hoc gravatur, quod pecuniam quam petit, non conſequatur, ergo debet in eo relevari, vt electionem habeat, vid Zanger.*de except.p.3.c.1.n.146.* Vbi tamen advertendum, favore Eccleſiæ, cujus major habetur ratio, quam privati, ſpecialiter re-

ceptum

ceptum eſſe, vt * Eccleſia debitori non meliora cogatur dare in ſolutum, ſed tantum mediocria, *Nov.120.c.6.§.2.* Matth. Steph. *ad Nov.4.n.36.& 37.* Cujac. *ibi: v. nec tamen erit*, addit: ad Bart. *hic lit.a.vid.inf.n.87.* 50.

Ratio quare debitor creditori de * evictione teneatur, eſt hæc: quia datio in ſolutum venditionis ſpeciem habet, & in ea perinde ſicut in venditione evictio præſtatur, *L.4.C.de evict. L. eleganter 24. in pr.ff. de pig. act.* Bertachin. *in ſuo repert. v. Evictio n.16.* Azo *in ſumma n.2. C.de evict.* Card. Tuſch. *lit.E. concluſ.353.n.17.* Matth. de Afflict. *deciſ. Neapol 8. n.4.* Matth. Stephani *ad Nov.4.n.36.* Cujac. *ibid. v. nam vt ſequenti. vid. decad.1.q.6.n.34.vid. q.10.n.116. inf.* 51.

Requiritur etiam * cautio tunc, quando emptor reperitur, *per text. in d. Nov.4.* ibi: *præbentem hujusmodi cautionem arbitrio judicantis.* Et quidem cavendum eſt creditori à debitore, pecuniam debitam ſe ſoluturum, vt opinatur Julianus Patricius *ad d. Nov.4.* quod licet improbet Cujac. *v. male Iulianus*, & Matth. Stephani *n.35.* vbi potius putant emptori cavendum eſſe de evictione, neſcio tamen, quare non & alterum ſuſtineri poſſit, *per text. in auth. hoc niſi. C. de ſolut.* ibi: oportet debitorem cautelâ creditori præbitâ rē tunc diſtrahere, vt ſatisfiat creditori, vnde gl. & Salicetus 52.

*ad d.auth.*id in terminis ita explicant, quemadmodum Julianus. Rationem poſterioris reddit Cujac. hanc: quia tali ſe remedio debitor ære alieno, ac forſitan pœna gravi liberat, Ergo invento emptore ei arbitratu judicis ſatiſdatur de evictione. Ratio prioris poteſt dari hæc; ne debitor pecunias ab emptore prædiorum acceptas in vſus alios convertat. Quamvis hoc tempore, quo arreſta paſſim in vſu habentur, hujuſmodi cautione non adeò multùm ſit opus.

53. Qualis autem * cautio requiratur, id docent Cujac. *h. v. nec tamen erit.* & Matth. Stephani *n. 36.* vbi volunt, quod non ſufficiat repromiſſio, vt in emptionibus ſolet, ſed quod requiratur ex arbitratu judicis ſatiſdatio; adduntq; rationem: quia quodammodo invitus creditor emit, dum aliud pro alio, & prædia pro pecunia accipit, idcircò æquum eſt ab evictione ſecuriorem eum reddi, vid. Bart. *ibid. n. 7. & 8.* ſed hoc ego ita judico verum, ſi ſatiſdatio præſtari poteſt, *per text. expreſſ. in d. Nov. 4.* ibi: cum tali cautela, cum quia debitor dare poſſit. & inf. præbentem hujuſmodi cautionem, qualem omninò eſt dare poſſibile, additq; Imperator rationem: vndiq; enim ita
54. * creditoribus providendum eſt, vt non debi-
55. tores graventur. Ex quo apparet * quod ſi fidejuſſoribus vel pignoribus ſatiſdare poſſit, id omni-

omninò facere debeat, *gl. v. dare poſſit*: ſin minùs, juratoria ſaltẽ cautio ſufficiat, gl. & Bart. *num. 8. vid. ſup. q. 2. n. 30. & inf. decad. 3. q. 1. circ. f. num. 128.*

Ex dictis puto non obſcurè intelligi poſſe diſpoſitionem Novell. 4. de venditione prædiorum, & datione in ſolutum. Vt autem nihil deſit huic materiæ, oſtendam paucis, in quo conveniat hæc datio in ſolutum, & in quo differat à ceſſione bonorum, vt ſimul appareat, quare beneficium rectè queat appellari.

Conveniunt * in eo hæc duo, quod tam ille debitor, qui res in ſolutum dedit, quàm qui bonis ceſſit, liberetur à carcere, Cujac. *ad Nov. h. 4. v. ſed ea ceſſio, mihi fol. 53.* Matth. Stephani *n. 14.* & ab addictione ad creditoris manus, *vid. decad. 1. q. 7. num. 13. cum ſeq.* Coler. *part. 1. c. 6. num 115. & num. 114.* * Differunt autem in hoc primò, quod datio * in ſolutum, nullam in ſe contineat ignominiam, ceſſio autem aliquo modo ignominioſa ſit, *d. Nov. 135. c. 3. §. agnoſcant autem* vbi Steph. *num. 15. vid. ſup. q. 2. num. 88. q. 9. num. 7. inf. q. 10. num. 41.* Secundò dominium * rerum in ſolutum datarum tranſit in creditores, ita vt non cogantur eas vendere, ſed poſſint, ſi volunt, ſibi retinere; quæ autem per ceſſionem ad creditores tranſeunt, jure dominij ad eos non pertinent,

56. 57. 58. 59.

60. nent, nec eo jure * inter ſe creditores dividere poſſunt, *L.4.C.qui bon.ced.poſſ.* Greg. Tholoſ.*c.11.l.22.p.3.ſyntagm.n.2.* Matth. Steph. *ad Nov.135.n.16.* neque enim qui cedit bonis, deſinit eſſe dominus bonorū ſuorum, ante diſtributionem factam pecuniæ, vel ſi æſtimatio facta eſt ante addictionem rerum, *L. is qui, vbi Bart. C. qui bon.ced.poſſ.* Tholoſ. *loc.cit.* Weſenb. *in parat.n.6.ff.de ceſſ.bon.*

61. Tertiò: in ceſſione * bonorum cogitur debitor dimittere omnia ſua bona, Azo *num.5. qui bon.ced.poſſ.* Weſenb. *num.4.ff.de ceſſ.bon.* Mynſ. *§.fin.n.20.inſt.de act. vid.ſup.q.6.n.4.* in datione in ſolutum tantum aliqua, ita vt ſit particularis quodammodo ceſſio, ſive, vt Greg. Tholoſ. *c.11.num.1.* vocat, prodromus & anteſignanus ceſſionis, *vid.quæſt.8.num.f. q.2. num.76.*

SVMMARIA.

62. Calamitoſi debitores an cogantur prædia in ſolutum dare?

63. Lex generaliter loquens generaliter eſt intelligenda.

64. Vbi textum habemus, ceſſare debet dubitatio.

65. Calamitoſi debitores an & quare infelices?

66. Liberi à bonorum ceſſione non hoc ipſo liberi ſunt à datione in ſolutum.

67. Ca-

67. *Calamitoſi debitores æquitate inſpecta non poſſunt cogi ad bona in ſolutum danda.*

68. *Ratio prima.*

69. *Calamitoſi debitores non debent ad quotidiani victûs & amictûs inopiam adigi.*

70. *Ex quo reſultat idem effectus, nihil intereſt.*

71. *Quod vnâ viâ prohibetur, non debet aliâ induci.*

72. *Ratio ſecunda.*

73. *Ratio tertia.*

74. *Privilegium competentiæ habentes non poſſunt per actiones ad extremam inopiam redigi.*

75. *Actiones nullæ ad hoc nobis deſervire debent, vt proximum noſtrum trudamus ab omnibus alimentis.*

76. *Ratio quarta.*

77. *Ratio quinta.*

78. *Dos eſt valde privilegiata.*

79. *Mariti bona pro dote mulieri non debent in ſolutum vel in ſolidum addici.*

80. *Dotalium rerum dominium ſoluto matrimonio ipſo jure tranſit ad mulierem.*

81. *Maritus ſoluto matrim: non cogitur omnia bona vxori reſtituere.*

82. *Maritus habet beneficium, vt non teneatur vltra, quam facere poteſt.*

83. *Argumentum à marito ad calamitoſum debitorem ductum.*

84. *Concluſio.* 85. *Objectio.* 86. *Exemplum.* 88. *Reſponſio.*

87. *Benefitium competentiæ non omninò liberat à venditione, & datione prædiorum in ſolutum.*

89. *Debitor non ſemper vendere, vel in ſolutum dare cogitur prædia, quæ vltra competentiam ſuam habet.*

90. *Figuratio caſus.* 91. *Quæſtio.*

92. *Non poſſunt omnes articuli legibus, aut ſenatusconſultis comprehendi.*

93. *Ad rarò accidentia jus non accommodatur.*

94. *Lege deficiente à naturali ratione arguendum.*

95. *Vbi jus ſcriptum non eſt, de ſimilibus ad ſimilia procedendum.*

96. *Ratio decidendi prima.*

97. *Ruſticorum terrulæ pro pauco frumento nõ ſunt abſtrahendæ.*

98. *Eventus rigoris contra debitores calamitoſos vſurpati.*

99. *Ratio ſecunda: devictis hoſtibus major ſecuritas ſubditis eſt impertienda.*

100. *Ratio tertia.*

101. *Emphytevtica bona ſunt tacitè pro canone obligata.*

102. Em-

102. *Emphytevta non ſolvens canonem poteſt expelli, niſi belli incommoditatibus impediatur. n. 103.*
104. *Canon emphyteveticus an ſolvendus, quando nulli percipiuntur fructus?*
105. *Argumentum ab Emphytevta ad reliquos calamitoſos debitores.*
106. *Plus eſt debitum remittere, quam inducias concedere.*
107. *Auctoritas Doctorum quid præſtet?*
108. *Objectio.*
109. *Iudex juris miniſter eſt, & à præſcripto legum recedere non poteſt.*
110. *Dura multa videntur, quæ tamen à jure cauta ſunt.*
111. *Ratio quarta.*
112. *Conſtitutio nova Bavarica, quomodo contra debitores calamitoſos procedendum*
113. *Ratio cur rigor executionis non ſit ſervandus.*
114. *Ad quid moderni calamitoſi debitores adſtringendi?*
115. *Ad particulares ſolutiones admittendi.*
116. *Bavaricæ Novellæ conſtitutionis encomia.*
117. *Creditoribus non eſt conſultū, ſi amoveant debitorem de poſſeſſionibus ſuis.*
118. *Quod differtur non aufertur.*
119. *Opinio auctoris in compendio tradita.*
120. *Explicatio Nov. 4. & auth. hoc niſi.*

121. *Diſtinctio prima inter debitores ſuâ culpâ & inevitabili neceſsitate belli depauperatos.*

122. *Diſtinctio ſecunda inter depauperationem vnius & plurium.*

123. *Diſtinctio tertia inter prædia modico & immodico pretio vendibilia.*

124. *Fundamentum.* 125. *Ratio prima diſtinctionis.*

126. *Caſus fatalis nemini damnum adferre debet.*

127. *Ratio ſecunda.*

128. *Datio in ſolutum inducta in favorem debitorum.*

129. *Ratio ſecunda diſtinctionis.*

130. *Reip. intereſt, ne cives ſuis bonis deſtituantur.*

131. *Multitudo facit recedere à regulis juris communis.*

132. *Ob populum multum crimen pertranſit inultum.*

133. *Ratio tertiæ diſtinctionis.*

134. *Requiſita quatuor ad dationem in ſolutum neceſſaria.*

135. *Requiſita iſta moderno tempore ſervari nequeunt.*

136. *Emptorum raritas.*

137. *Paria ſunt nolle emere, & non velle juſto pretio emere.*

138. *Æſtimatio ſubtilis hodie ceſſat.*

139. Cau-

139. *Cautio qualis præſtanda ab eo, qui prædia dat in ſolutum.*

140. *Parva & fragilis eſt cautio, quæ in parva papyro continetur.*

141. *Quid locis, & temporibus, & perſonis conveniat, attendendum.*

142. *Cauſæ in compendio relatæ, ob quas à* Nov. *4.c.3. & auth. hoc niſi* C. *de ſolut. nonnihil recedendum.*

143. *Ad rarò accidentia jus non accommodatur.*

144. *Pro varietate temporum, rerum, perſonarum ſtatuta & leges variantur.*

145. *Non idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus.*

146. *Varietas circumſtantiarum bene conſiderata in* Novella *conſtitutione Bavarica.*

147. *Regulæ juris ſtricti non ſemper obſervandæ, ſed humanitate & miſericordiâ temperandæ.*

148. *Caſus belli extraordinarij ſunt, quibus omnes leges, ſtatuta & conſuetudines cedere debent.*

149. *Tempora noſtra non patiuntur rigorem antiquorum jurium.*

150. *In gratiam egenorum condi, & conditæ emendari ſolent leges.*

151. *Reſponſio ad arg. primum.* Nov. *4. c. 3. & auth. hoc niſi, &c. obtinent rebus ſtantibus in*

eodem ſtatu, nec pertinent ad inſolitam calamitatem temporum noſtrorum.

152. *Reſp. ad argt. ſecund. Datio in ſolutum quâ ratione ſit beneficium.*
153. *Reſp. ad argt. tertium.*
154. *Concluſio.*
155. *Confirmatio ex doctrina Theologorum.*
156. *Iulij Cæſaris temporibus cur prædia debitorum calamitate belli depauperatorum fuerint creditoribus in ſolutum addicta.*
157. *Quia poſſeßiones tanti æſtimatæ fuerunt, quanti quæque earum ante bellum fuiſſent. Ratio. 158.*
158. *An moderni calamitoſi debitores cogantur prædia in ſolutum dare creditoribus antiquam æſtimationem admittere volentibus?*

His ita præcognitis

62. QUæſtio eſt: vtrum * etiam moderni debitores calamitoſi bellicâ calamitate depauperati, ad diſſolvendum æs alienum cogantur prædia vendere, vel in ſolutum dare.

Ratio dubitandi deſumitur ex generalitate textus, nam cum Novell. 4. & auth. *hoc niſi*
63. *Cod. de ſolut.* generaliter * loquantur, videntur generaliter etiam intelligendæ, *L. 1. §. 1, ff. de legat. præſtand. L. antiquitas 14. C. de vſuf. & habit.*

habit.& vbi * textum habemus, ceſſare debet 64.
dubitatio, Bald. *in L. ancillæ C. de furt.* Secundò Imperator in illis remedium affert * infelicibus, id eſt, vt ſupra explicavi, adverſâ fortunâ oppreſſis debitoribus; atqui illi, qui præteritis annis tacti fuerunt infortunio belli, planè ſunt infelices *vid. ſup q.1. num.13.* (vtinam non vlterius futuri!) & fortunâ revera adverſâ oppreſſi, vt omnes illi libenter fatebuntur, qui ante paucos annos, non niſi de divitijs ſuis gloriabantur, ergò &c. Tertiò, in ratione ſexta *ſupra q 1. decad.2. num.99.* dictum eſt, quamvis * calamitoſi debitores nō 66.
cogantur bonis cedere, quod nihilominus debeant bonorum venditionem pati, *per text. & authoritates ibi adductas,* Ergò licet hi, de quibus loquimur, à ceſſione liberentur, videri tamen poſſet, non liberari à datione in ſolutum.

Verum meo judicio hæc ſtrictâ quidem juris ratione procedunt, æquitate * autem in- 67.
ſpectâ puto debitores hoc calamitoſo tempore, ne ad hoc quidem cogi poſſe, vt bona ſua immobilia, vel vendant, vel in ſolutum relinquant ſuis creditoribus, *argt. Nov. 135. ibi. hujuſmodi contumelijs vti ac prætextibus. vid. decad. 1. q. 7. n. 103.*

Ratio prima eſt: quia * in eaſdem miſerias 68.
inciderent, in quas per ceſſionem bonorum incidiſ-

incidiſſent, *vid.inf.n.98.* ſolâ ignominiâ facti, (quæ ceſſionem comitatur, Weſenb. *in parat.n.f.ff.de ceſ.bon.* Jul. Pac. *Iſagog. n.4.eod. tit.*) exceptâ, & ſi non ad ignominioſam vi-
69. tam tranſponerentur, * ſaltem ad quotidiani victûs, neq; nõ amictûs corporis inopiam adigerentur, vt loquitur Imperator *in Nov.135.* ſi itaq; ad ceſſionem non poſſunt vrgeri, neq;
70. ad dationem in ſolutum poterunt, ex * quo enim reſultat idem effectus, nihil intereſt,
71. Mynſ.*cent.1.obſ.40.* Et quod * vnâ viâ prohibetur, non debet aliâ induci, *c.cum quid 84. de regulis Iuris in 6.argt. L.oratio 16.ff.de ſponſal.c. tuæ 5.ext.de proc. Gail.1.obſ.135.n.2.*

72. Ratio * alia: quia hæc datio in ſolutum fuit introducta in ſubſidium, vt nimirum illis vti liceret, qui antiquitùs poterant ad ceſſionem vrgeri, vt declaratum fuit ſupra *in princ.quæſt.n.2. vſq; ad n.15.* atqui per gverram ſpoliati, & infortunio belli depauperati, non coguntur, tanquam privilegiati, bonis cedere, *vt dixi ſupra in declarat: quæſt.1.* ergo, &c. Huic non abſimilis eſt

73. Ratio tertia, * petita ex locis communibus actionum Oldendorpij *in 14.divis num.28.*
74. vbi dicit: quod perſonæ, quæ * privilegium competentiæ habent, non poſſint per actiones ad extremam inopiam redigi; atqui debitores iſti habent hoc privilegium, vt dicam

decad.

decad.3.q.2. ergo non poſſunt ad extremam inopiam redigi, quod fieret, ſi poſtquam milites mobilia diripuerunt, ipſis nunc immobilia auferrentur. *vid.ſup.q.1.n.74.inf. hâc q.n. 99.* Adde quæ ſcribit Id. Oldendorp. *in claſſ. forens.action.claſſ.3.actione 10.in practic.n.3.in f.* his verbis: quoniam non ad tantam crudelitatem nobis deſervire * debent vllæ actiones, vt proximum noſtrum, & fratrem trudamus ab omnibus alimentis, contra illud naturale: eſtote miſericordes, &c. 75.

Ratio quarta: * Habentibus privilegium competentiæ tantum relinquendũ eſt, quantum pro honeſta ſuſtentatione neceſſarium eſt, habito reſpectu non ad remipſam, ſed ad fructus, *vt dicam decade 3. q.3. circ.f.* vid. Menoch. *de arbit.judic.quaſt.cent.2. caſ.183.n.26.* Ergo neceſſariò ſunt relinquenda immobilia, vel quæ immobilibus æquipollent, illa enim potiſſimum fructus ferunt. 76.

Ratio quinta: * Dos in jure valde eſt * privilegiata, quemadmodum videre licet apud Cardinal. Tuſch. *lit.F. concluſ.88.* & Joan. Frideric. Solis *in tract.de dote art.2.f.4.* ita vt integrum tractatum ſcripſerit Campegius de privilegijs dotis, quemadmodum etiam Baptiſta de S. Blaſio vbi plura quam 350. privilegia recenſet: nihilominus tamen habemus integrum titulum in Cod. *l.5.tit.22.* ne * pro dote 77. 78. 79.

dote mulieris bona quondam mariti addicantur, id eſt in ſolutum dentur, vt aliqui legunt, (intellige de facili, & citra neceſſitatẽ, vel ordinem juris) vel, vt alij, in ſolidum dentur, id eſt, in totum ei addicantur. Imò quod ampliùs eſt, ſi vxor dotis loco attuliſſet marito ſuo quædam prædia, & poſtea ſoluto matrimonio rei vendicatione contra maritum ageret, ex cauſa dotis nondum ſibi reſtitutæ,
80. eo caſu de jure ſpeciali, non obſtante quod * dominium rerum dotalium ipſo jure tranſeat ad mulierem, abſq; aliqua traditione, per
81. *L. in rebus C. de jur. dot.* nihilominus * maritus cogi non poterit, vt integra bona reſtituat, Matth. Brun. *quæſt. 20. quart. quæſt. princ. n. 2.* vbi contrarijs reſpondet, & rationem hanc aſſignat: quia maritus convenitur vt mari-
82. tus, ergo * meritò beneficium habet, vt non teneatur vltra, quam facere poteſt. Si igitur
83. * hoc verum eſt in muliere aliàs privilegiata, repetente rem ſuam propriam, & ſi privilegium competentiæ tantum in marito operatur, quantò magis, & plus operari debebit in miſerabilibus & calamitoſis debitoribus noſtris, quorum creditores, vt ſuppono, nullum jus pignoris, nedum aliquod dominium in rebus & prædijs eorum habent?
84. Ex dictis * puto ſatis conſtare veritatem aſſertionis meæ, quod videlicet debitores moder-

moderni belli infortunio depauperati adigi non poſſint ad hoc, vt prædia ſua vendant, vel creditoribus ſuis in ſolutum concedant.

Dices: * omnes iſtæ quinque Rationes eò 85.
collimant, vt debitori relinquenda ſit ſua competentia, & plus non evincunt, quam dationem in ſolutum, vel venditionem bonorum ita moderandam, vt habeat ipſe adhuc tantum, quantum pro honeſto victu & amictu neceſſarium eſt, interim nihil impedit, quò minus ſaltem cogatur vendere, vel in ſolutum dare, quod ei vltra competentiam ſupereſt. In exemplo: * ponamus aliquem ha- 86.
bere viginti jugera agrorum, & ex retentione decem jugerorum honeſtè vivere poſſe, nunquid ſaltem cogetur reliqua decem vendere, vel in ſolutum dare? beneficium * enim cō- 87.
petentiæ non omninò liberat à venditione & datione in ſolutū, aliàs Eccleſia nunquam pro exolvendis debitis prædia vendere, aut in ſolutum dare deberet, contra quam *ſup. n. 50.* dictum eſt.

Ad hoc Reſp. * verum eſſe, vi argumento- 88.
rum hactenus adductorū plus non ſequi. Ego tamen doctrinam meam vlteriùs protendo & dico, fieri ſæpe numero poſſe, vt * debitor 89.
calamitoſus ne tunc quidem prædia vendere, vel in ſolutum dare cogatur, ſi quid ei vltra competentem ſuſtentationē remanet. Quod

vt be-

vt bene intelligatur, formabo caſum talem:
90. Nobilis quidam ante bellum comparavit ſibi arcem cum ſuis pertinentijs pretio $\frac{m}{30.}$ floren: & plus non debet creditoribus ſuis, quam quinque millia floren: non habet autem vel pecunias vel res mobiles, vnde æris alieni ſolutionem faciat, quia per guerram ſpoliatus & depauperatus fuit. Creditores nihilominus eum vrgent ad venditionem arcis, quam ſi publicè proponeret, & venderet, non vltra decem millia reciperet (decreverunt enim pretia rerum infra duplum, triplum, imò pro penuria hominum & nummorum alicubi vſque infra quadruplum ſolitæ & juſtæ æſtimationis) hoc in caſu ſi quinque millia ſolveret, adhuc alia quinq; millia in reſiduo pro ſuâ honeſtâ ſuſtentatione habiturus eſſet. Si

91. Quæras: * an arcem illam pretio $\frac{m}{10.}$ floren: vendere, vel creditoribus in ſolutum dare debeat? Reſp. negativè. Pro ſtabilienda hac reſponſione non poſſum tibi multos juris textus allegare, quia * non poſſunt omnes articuli legibus aut ſenatuſconſultis comprehendi, *L. non poſſunt 12. cum ſeqq. ff. de LL.* & cum hæc devaſtatio & deprædatio ſit de rarò contingentibus, ideo mirum non eſt, quod nulla jura ad hoc propoſitum ſint prodita,
92.
quia

quia ad caſus inſolitos, & * rarò accidentia 93.
jus non accommodatur, ſed ad ea, quæ facilè & frequenter accidunt, *L. nam ad ea 5. ff. de LL. Nov. vt ſine prohibitione 94. c. 2.* Quia
igitur * lege deficiente à naturali ratione ar- 94.
guendum, *argt. c. ſecundò 41. Ext. de appellat. inf.* vel ab æquitate *L. in ſumma 2. §. item Va-*
rus 5. inf. ff. de aq. & aq. pluv. arc. & vbi * jus 95.
ſcriptum non eſt, de ſimilibus ad ſimilia procedendum, *c. in cauſis 19. Extra de ſent. & re jud.* ideo adducam vnam & alteram rationem, quæ ſententiam & doctrinam meam probabilem reddat, quarum

Prima ſit iſta: * Imperator Juſtinianus 96.
rem duram judicavit, atque inhumanam, & quæ vltra omnem impietatem & avaritiam fit, ſi qui ſterilitatis frumentariæ tempore ſub modica menſura frugum mutui
cum aliquibus contractum celebrent, & * 97.
pro pauco frumento terrulas infelicium ruſticorum abſtrahant; vnde quia factum eſt,
vt plerique * ruſticorum eâ occaſione diffu- 98.
gerint, plerique etiam fame perierint, & triſtiſſima peſtis incurſione barbaricâ non inferior vel minor homines invaſerit, ideo generaliter prohibuit, ne quis mutuum dans agricolæ terram ejus teneret, & præſcripſit creditoribus, (id quod adhuc hodie multis

r incul-

inculcandum,& præſcribendum) quàm magnas vſuras ab agricolis percipere debeant, vt videre eſt in Novell. 32. 33. 34. juſſitque ſtatim reſtituere, ſive terram, ſive aliud quiddam, boves forte, aut oves, aut mancipia pignori ceperint. Atqui non minùs durum, & inhumanum eſt, ſi pro modica fortè pecunia à creditoribus prædia in ſolutum petantur, quia infelices debitores in eaſdem miſerias præcipitabuntur, Ergo pariter prohibendum, ne fiat, *vid. ſup. n. 68.*

99. Ratio ſecunda: * Poſtquam ſubditi priſtinis liberati ſunt moleſtijs, devictis hoſtibus alia & major ſecuritas ipſis eſt impertienda, *Nov. 146. de hæredibus c. 1. in f.* atqui hæç non eſt ſecuritas, ſi, vt ſupra dixi, hoſtes abſtulerunt mobilia, & creditores nunc ad ſe trahant prædia. *vid. ſup. n. 74.*

100. Ratio tertia: * Emphytevta ratione canonis eſt verus debitor, & Dominus directus creditor, non tantum perſonalis, verum hy-
101. pothecarius, (nam * bona emphytevtica ſunt tacitè pro penſione, ſive canone obligata, Bald. *in L. certi juris in 5. quæſt. C. locati, per text. & auth. de alien. §. ſcire.* Neguzant. *de pign. p. 2. memb. 4 num. 127.* Dornſperg. *in Syntagm. l. 3. c. 23. num. 17.* Beuth. *de jure prælat. c.*
102. *13.*) ita * vt ſi intra biennium, ſi Emphytevſis

tevſis ſit Eccleſiaſtica, & triennium, ſi ſit temporalis, canonem non ſolvat, omninò expelli, & Dominus Emphytevſin ad ſe recipere poſſit, *L. 2. C. de jur. emphytevt. c. potuit extra. de locat. & conduct.* Schrad. *in tract. de contract. ad §. adeo num. 26. inſtit. de locat. & conduct.* Mynſ. *num. 15. vid. inf. decad. 4. quæſt. 3. rat. 10.* Nihilominus tamen tradunt communiter Dd. ſi Emphytevta canonem ſolvere nequeat, propterea quod * belli incommodi- 103.
tatibus impeditus agros non potuerit colere, Dominum directum non poſſe illum expellere, & emphytevtica bona ad ſe trahere, ſed debere canonem remittere, Schrad. *in tract. ſuo de contract. §. adeo n. 27. de locat. & conduct.* Oldendorp. *in claſſ. forens: act. rub. de action: emphyt. in defenſ: rei convent. num. 14.* Villalob. *commun. opin. lit. E. num. 79.* Julius Clarus. *§. Emphytevſis q. 8. v. ſed quid ſi Emphytevta*, Soarez. *commun. opin: lit. E. num. 107.* Et quamvis nullus textus juris hoc dicat, ſed lex & ratio contrarium jubeat, vid. etiam tunc * ca- 104.
nonem ſolvendum, cum fructus non percipiuntur, eò quod canon non ob fructus, ſed in recognitionem directi domini ſolvatur, *L. quicunque, & ibi Bart. C. de fund. patrim. L. 11. §. quia vero Leonis auth. de non alien. aut permut. reb. Eccl. gl. in c. potuit vbi* Abb. *num. 17.*

extra. de locat. & conduct. Nihilominus Dd. ſolâ æquitate moti à lege deflectunt. Si
105. igitur * hoc verum eſt in emphytevta, vt non ſolvens canonem ob calamitates bellicas non amittat emphytevſin, quæ tamen jam ante quoad Dominium directum ad creditorem ſpectat, & qui hypothecam in vtili dominio, & fructibus habet, inſuper etiam magnum privilegium, vt videre eſt apud Beuth. *loc. ſupra cit.* & in jure Bavarico in tract. deß Gantproceß / *tit. 2. artic. 9.* cur ergo reliqui debitores deberent perdere bona, vel ijs cedere, propter calamitates belli, in quibus creditoribus merè perſonalibus nihil prorſus juris competit? Si dominus dire-
106. ctus debet canonem * omninò remittere, nunquid majori ratione reliqui creditores ſuis debitoribus inducias, & dilationem concedere? *vid. decad. 1. q. num. 27.* Et quamvis nulla lex in ſpecie hoc dicat, tamen ſæpiſſime evenit, vt ſi de jure aliquid non procedit,
107. propter, * auctoritatem Doctorum (qui bonâ ratione moventur, vid. ſupra *decad. 1. q. 1. n. 56.*) ſervari poſſit in practica, Joann. le Cirier *in tract. ſuo de jure primogenit. lib. 1. quæſt. 24. n. 18. vid. inf. decad. 3. q. 2. n. 63.*

108. Dices, quod jam alij mihi dixerunt & objecerunt, hæc quidem in ſe ſpectata eſſe rationa-

tionabilia & tam æquitate quam miſeratione ſubnixa: nihilominus quia judex * juris 109.
miniſter eſt, & à præſcripto juſtitiæ, legúmque veſtigijs recedere non poteſt, *L. nemo 13. C. de ſent. & interloc. L. f. in f. C. ſi cont. jus. vel vtil. pub.* etiamſi quoad ſpeciem dura quædam appareant (nam dura * multa viden- 110.
tur, quæ tamen à jure cauta ſunt, *text: in L. proſpexit 12. ff. qui & à quibus,* Schneid. *num. 17. in pr. inſt. de pupill. ſubſtit.* Oſterman. *ad §. quod autem 3. inſt. de vſucap.* Gail. *2. obſ. 154. num 5.* Coler. *de proceſſ. execut. p. 1. c. 6. num. 141.*) ideo periculoſum eſſe, lege nelgectâ nudam æquitatem ſequi, vel eorum auctoritatem, qui facultatem legis condendæ non habent. Vt igitur hac in parte tibi ſatisfaciam, adducam.

Rationem * quartam petitam ex conſtitu- 111.
tione tam æquiſſima, quam nobiliſſima, *argt. §. ſed noſtra 6. de hæred. qual. & diff.* quam Sereniſſimus Bavariæ Dux & Elector, MAXIMILIANUS, Princeps ac Dominus meus clementiſſimus *11. Aprilis Anno 1635.* ad ſtatus ſuos ſcripſit, & quomodo contra * debi- 112.
tores modernos bellico infortunio afflictos procedendum ſit, præſcripſit, interdicendo ſpeciatim, ne pro rigore juſtitiæ conſuetis aliàs executionis modis contra eoſdem

113. procedatur, addiditque * rationem hanc:
„ Dieweilen hierauß erfolgen möcht / daß dem
„ gemeinen / vnnd armen Mann / wofern jhme
„ durch Mitleidigkeit nicht vnter die Arm ge-
„ griffen wird / der Lust zum Hausen benommen /
„ die creditores in Verluſt / vnd Gefahr jhrer
„ Schuld-prætenſionen geſetzt / ꝛc. vnnd den
„ Grundherꝛen jhre Güter vnbemairt / öd / vnd
„ vngebawt ligend verbleiben möchten / man-
114. „ davit propterea paulò poſt: daß * wann die
„ Schuldner von Freund vnnd Feind wiſſent-
„ lich / vnd ſolchen Schaden erlitten / daß jhnen
„ an Mitlen zum bezahlen ermanglen thut /
„ nach Erwegung der Zeit vnd Vmbſtänd / et-
„ was mitleidenlichs verfahren / vnnd mit den
„ Creditoren entweders auff das new / oder
„ auff andere erſchwingliche leidenliche Friſten
„ gehandlet / da auch bey jhnen den Glaubigern
„ die geſuchte Folg nit ſeyn würde / von Ampts-
„ wegen alßdann vorgegriffen / vnd dem Debi-
„ tori ſolche Zahlungsfriſten / welche er nach
„ Beſchaffenheit ſeines erlitnen Schadens /
„ vnd noch habenden Vermögens erſchwingē /
„ vnd bey Häußlichem Anweſen verbleiben kön-
„ ne / beſtimbt werden.

Ex quo ſatis clarè apparet, quod ſua Serenitas non voluerit miſeris, & infelicibus de-
115. bitoribus prædia eripi, ſed illos ad * particu-
lares

lares ſolutiones quotannis faciendas admitti, quod alibi etiam melioribus temporibus practicatur, Nicol. Boër. *deciſ.349.n.10. v. tamē curia*, & apud alios in ſimili caſu antehac practicatum fuit, Matth. de Afflict. *deciſ.377.n.1.* Vnde meo judicio verè convenit huic Bavaricæ * Novellæ conſtitutioni, quod Imperator 116.
Iuſtin. *in Nov. 32. & 34.* de ſua illa aſſeveravit: hæc lex omnibus humanitatis & pietatis de ſe ſpecimen præbet, & tam egenorū neceſſitati medetur, quā creditoribus mediocre ſolatiū affert. & quod *in Nov.4. c.3. circ. f. vid. ſup. n.15.* hoc nos clementer ſimul & legaliter decidentes, & infelicibus debitoribus auxiliamur, & acerbis creditoribus non apparebimus duri.

Nam quid quæſo lucrabuntur * creditores, ſi amoveant debitorem ſuum è poſſeſſione illorum bonorum, ex quibus illis pro hic & nunc plenè ſatisfieri nequit? *vid. ſup. q.1. n.93.* ſi videant illum vnà cum liberis & vxore famè perire? nunquid ipſorum magis intereſt debitores in ſuis poſſeſſionibus bey häußlichē Ehren conſervari, vt quædam alia præter poſſeſſa comparent, ex quibus plenè ſatisfieri ipſis poſſit, pinguiore redeunte fortunâ? *vid. ſup. q.8. n.75.* Neq; enim * quod differatur ſolutio, ideo illis aufertur debitum, imò potiùs deperibit, ſi infelices debitores à prædijs ſe- 118.

moti, antequam alia quærant, moriantur. per notata Greg. Tholoſ. *c.15. num. 3. in f.* confer ea, quæ ſcripſi ſupra *decad. 1. q. 1. num. 27. decad. 2. q. 8. num. 74. & 75. decad. 1. q. 7. num. 19.* Rationem quintam videre licet ſup. *decad. 2. q. 1. num. 89.*

Plures rationes ex infra dicendis ſua ſponte apparebunt.

119. Vt igitur in * compendio multa dicam, hæc eſt mea opinio: quod non cogatur debitor cum majori ſuo & reipub. incommodo prædia ſua derelinquere, quam poſſit ex ea derelictione commodum creditori accedere. Vel aliter: ſi creditor nimis vili pretio velit accipere, vel debitor nimis magnum damnum debeat ſuſtinere, quod non cogatur prædia in ſolutum dare, aut nimis exiguo pretio vendere. Quodnam vero dicatur nimis vile pretium, vel nimis magnum damnum, id arbitrio judicis exiſtimo eſſe relinquendum, pro cujus informatione alibi aliquot documenta DEO volente tradam.

Tempus eſt vt examinem textus *Novel. 4. & auth. hoc niſi.* in contrarium allegatos, ad
120. quos Reſp. * eos intelligi poſſe duobus modis, vel in favorem creditoris, vt ille nimirum poſſit petere ſibi addici in ſubſidium bona immobilia debitoris ſui, quemadmodum

dum ita videtur concepta eſſe *d. auth. hoc niſi.* vel in favorem debitoris, vt videlicet poſſit, ſi ſe velit à moleſtijs creditorum liberare, ſubſtantiam ſuam immobilem in ſolutum offerre, illique cogantur admittere. In priori ſenſu: ſi de coactione loquamur, puto tunc procedere, cum * debitor ſuâ culpâ 121.
non eſt idoneus ad ſolvendum, ſecus ſi inevitabili neceſſitate belli, incendij, naufragij, non ſolvendo fiat: *vid. ſup. q. 8. num. 41.* vel aliter, tunc conſtitutioni locum eſſe, * cum 122.
tranquillis temporibus vnus alterque non ſolvendo fiat: ſecus ſi vniverſim omnes ad egeſtatem deducantur, per incurſum hoſtiũ; vel adhuc aliter, tunc fortaſſis obtinere, * 123.
cum bona immobilia adhuc debitam æſtimationem recipiunt, & creditoribus inde ſatisfieri poteſt, ſec⁹ ſi nihil valeant, nimis modico pretio veneant, & vix vni ex omnibus poſſit ſatisfieri.

Prima diſtinctio * deſumitur ex Nov. 135. 124.
verbo *ex accidenti non ſupinâ negligentiâ*, & ex Conſtit: nova Bavarica, de qua ſupra ibi: Wollen demnach anfänglich / daß mit den jenigen Schuldneren/ſo in dieſe Vnvermögenheit / vnd Armut nicht durch jhr liederlich/ verthunlich Haußweſen gerahten / ſondern von Freund vnnd Feind wiſſentlich / vnnd ſolchen

Schaden erlitten/ daß jhnen an Mitlen zu bezahlen ermanglen thut. Et habent iſta omnia
125. hanc rationem: quia *caſus fatalis damnum
126. adferre * non debet, *L. quærat aliquis 135. ff. de V. S.* incurreret autem damnum irrecuperabile talis debitor, ſi res ſuas immobiles in ſo-
127. lutum dare deberet. Deinde hæc * in ſolutum datio fuit ab Imperatore Juſtin: intro-
128. ducta in ſingularem favorem * debitorum, id quod non obſcurè colligitur ex verbis illius Novellæ ibi: licet quibuſdam creditoribus fortè non ſit gratum, à nobis tamen propter clementiam ſancitur, & infra: hoc nos clementer, ſimul & legaliter decidentes infelicibus debitoribus auxiliamur; nullus autem eſſet, vel planè exiguus favor, multò minus auxilium, ſi debitores moderni, plus quam infelices deberent prædia, & reſiduam ſpem vitæ ſuæ dimittere, ſuiſq; creditoribus in ſolutum relinquere.

129. Ratio * ſecundæ diſtinctionis, quia ſi omnes debitores cogerentur creditoribus ſuis ſubſtantiam immobilem in ſolutum relinquere, & quidem juxta valorem modernum, eveniret planè, vt in ſingulis civitatibus dimidia vel adhuc major pars civium, qui nec paratam pecuniam, nec aliam rem vendibilem habent, omnibus omninò bonis ſuis

ſuis deſtituerentur, quod ne fiat reipub: * 130.
plurimùm intereſt, nam publica neceſſitas poſtulat, vt locupletes habeantur ſubditi, qui in tempore opportuno ſuccurrere queant. *Nov: 8. in pr. §. conſideravimus junct. gl. v. locupletibus.* adhæc notum eſt, quod * 131.
multitudo & pluralitas eorum, quos negotium contingit, cauſa ſufficiens ſit, quare à regulis juris communis recedatur, vt pluribus oſtendam in Specialibus juris communis, adeo vt propter pluralitatem & multitudinem *delinquentium ipſa quoque delicta 132.
relinquantur vel impunita, *c. quoties 14. cauſ. 1. q. 7. gl. ad c. latores 4. extra. de cleric. ex com.* vel ſaltem pœna mitigetur. *d. c. 4.* Weſenb. *num. f. ff. de pœn.* propterea tantum, ne ſequatur ſtrages multorum; quare ergo illud concedamus vt contra plures ita rigoroſè procedatur, & tanta communitati ſtrages inferatur, quando nulla eorum culpa, vel delictum præceſſit.

Ratio * tertiæ diſtinctionis deſumitur ex 133.
verbis dict. Nov. §. *ſed ſi. & ſeqq.* vbi Imperator quatuor * requirit; primò, vt res illæ 134.
immobiles priùs venum exponantur, & creditor eas divulget, *d. §. ſed ſi nec quiſquam* nam ſi creditor paratus eſt præparare quendam emptorem, neceſſitatem habet debitor

hoc

hoc agere, *§. ſi itaque creditor*, hoc eſt, vt gl. interpretatur, res ſuas vendere. Secundò vult Imperator, ſi nec quiſquam emptor immobilium ejus rerum adſit, creditore etiam frequenter divulgante, tunc judicem debere ſubtili æſtimatione factâ rerum debitoris in ſolutum dare poſſeſſionem immobilem creditoribus, ſecundum quantitatem debiti, *d. §. ſed ſi.* Tertiò præſcribit, vt debitor in hoc caſu præſtet cautionem de evictione, *loc. cit.* & quidem pignoratitiam, vt explicat gl. *v. dare poſſit.* Quartò: vt meliora quidem dentur creditori, deteriora verò apud debitorem poſt debiti ſolutionem manere ſinantur, *§. rerum vero.*

135. Atqui neutrum ex iſtis quatuor * hoc calamitoſo tempore fieri poteſt, nam ad primum requiſitum quod attinet, etiamſi venum exponantur bona illa immobilia, ta-
136. men * nemo futurus eſt, qui velit emere, cum vix reperiantur hoc tempore, qui agros (vtpote ſteriles) gratis accipiant plantationibus in meliorem ſtatum reducendos, tantumque laboris & impendiorum velint conferre, vt planè reditum ſit ad illa tempora, quibus olim incipiebant prædia in Emphytevſin concedi, de quibus vide Mynſ. *§. adeo autem aliquam num. 2. inſtit. de locat. & conduct:*

vel

vel ſi quis erit, ſaltem juſtum pretium non offeret, paria * autem ſunt nolle emere, & 137.
non velle juſto pretio emere, Schneid. §. *libertas num. 6. inſtit. de ſing: rebus per fideicom: relict. vid. ſup. num. 41.* Si deinde in defectu emptoris prædia creditori aſſignanda ſunt æſtimatione * ſubtili, reſpuet ille ſubtilem 138.
iſtam æſtimationem, (de qua tractabo alibi,) ſed cupiet ſibi relinqui, & æſtimari juxta valorem modernum, & conſuetum, quod ſi fiat, rarò quantitatem debiti aſſignatio iſta attinget, quia illi agri, qui ante paucos annos valebant 100. & ampliùs florenis, nunc vix valent. 20.

Inſuper nihil facile debitoribus remanebit, quomodo autem præſtabunt * cautio- 139.
nem pignoratitiam de evictione, quam gl. putat requiri (mihi autem videtur ſufficere talis, qualem præſtare poſſibile eſt, *vid. ſup. num. 53.*) ſi pignora non habent? aut quomodo fidejuſſores invenient, qui hic & nunc bonis ſuis omninò deſtituuntur? *vid. ſup. decad. 1. q. 5. num. 67. decad. 2. q. 6. num. 81.* aut quomodo ſufficienter conſultum erit creditori, immobilem ſubſtantiam recipienti, per juramẽtum ſui debitoris, vel chirographum? cum * parva & fragilis ſit cautio, quæ in par- 140.
va papyro continetur, Joan. Emeric. à Rosb.

prax.

prax.civ.tit.de Except.dilat.n.61. L. quiita 61. §. 1 ff.ad S.C.Trebell. Deniq; & meliora & deteriora ſimul creditoribus cedent, nihilq; manere poſt debiti ſolutionem apud debitores ſinetur.

141. Quare ſi vſpiam attendendum eſt,* quid locis, & temporibus, & perſonis conveniat, *c. quiſquis 1. diſt. 41.* in præſenti certè caſu at-
142. tendendum, in quo * non vnus tantum, & alter, ſed plurimi ; non culpâ, ſed inopinato caſu ; bonis ipſis non modicè deterioratis, ſed ad viliſſimam æſtimationem redactis, ſolvendo eſſe deſierunt, atque ideo neque conſtitutio d. avthenticæ, & Novellæ ad hunc tanquam caſum omninò inſolitum extendenda, *vid. ſimile quid quæſt. 2. annexa reſponſo juris* Joann. Wolffgangi Hilleri, *de re monetaria num 24. & 25.* cum (vt ſupra
143. quoque dictum) ad rarò * accidentia jus non aptetur, ſed ad ea, quæ facilè & frequenter accidunt, *L. nam ad ea 5. ff. de LL.* Et nulla lex ab initio ſic ferri potuerit, vt omnibus poſthac æquè conveniret. Non debet, inquit Pontifex, reprehenſibile
144. judicari, ſi ſecundum * varietatem temporum ſtatuta quandoque varientur, humana præſertim, cum vrgens neceſſitas, vel evidens vtilitas id expoſcit, quia ipſe DEUS ex

his

his quæ in veteri teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in novo, *c. non debet 8. Ext. de conſang: & affin.* Diverſitas enim perſonarum diverſam videtur poſſe recipere medicinam, *text. in c. 1. cauſ. 14. q. 6. inf.* Sicut quædam ſunt, quæ nullâ poſſunt ratione convelli, ita multa ſunt, quæ aut pro neceſſitate temporum, aut pro conſideratione ætatum oportet temperari, *c. f. diſtinct. 15.* Tempeſtati enim obſequi artis eſt. Non idem * ſemper 145.
dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus, poſt Cicer. in epiſt. Anton. Fab. *in rational. ad L. 23. ff. LL.* i. e. quietem ſubditorum, ſalutem populi, & publicam vtilitatem. Sicuti conſtitutio ab initio non conſiſtit, ſi ſine ratione aut publica vtilitate lata ſit, ita etiam poſtea deſinit, ſi mutato rerum ſtatu inutilis fiat, aut noxia reip. Compilatores compos. pac. *c. 5. q. 29. n. 56.*

Hanc temporum, rerum & perſonarum varietatem benè conſideravit Sereniſſimus noſter Elector * in ſupra allegata ſua conſti- 146.
tutione; ibi: Nach Erwegung der Zeit vnnd Vmbſtände / etwas mitleidenlichs verfahren würde. Notavit idipſum noviſſimè quoque Dn. Philipp. Zorerus *q. 7. num. 535. cum ſeqq.* vbi inter cætera ex conſ: Dn. Beſoldi *69. num. 38. & ſeqq.* regulas * juris ordinarias, ju- 147.
riſque

riſque ſtricti acumen, vel etiam municipalium ſanctionum regularem tenorem non omninò dicit obſervandum, ſed ei jubente Seneca *3. de benefic. c. 7.* ſecundum liberam, & nullis adſtrictam vinculis religionem detrahendum aliquid, & adijciendum, neque omnia, prout lex & juſtitia ſuadere videtur, ſed prout humanitas & miſericordia impellit, concipienda; & cum varias vtilitates hinc orituras enaràſſet, ſubdit tandem *num. 554.* eas omnes ſperari non poſſe, ſi ſequi velimus regulas juris ſtricti, & juxta eas præ-
148. ſentes controverſias decidere, cum * caſus belli extraordinarij ſint, quibus omnes leges, ſtatuta, & conſuetudines cedere debeant; nihilque communius eſſe, quàm vt pro varietate temporum ex bono & æquo juri publico, & naturali addi aliquid, vel derogari in aliquo poſſit; imò ad varietatem temporum ſtatuta humana mutari debere,
149. & poſtea in fin: ſubjungit: ætatem * noſtri temporis non pati rigorem antiquorum jurium, ſed neceſſitate vrgente, vel propter vtilitatem evidentem recedi à diſpoſitione juris, cum finis legum concernat neceſſitatem, vel vtilitatem ſubjectorum, *c. erit & ibi gl. diſt. 4. c. ſi Eccleſia 23. q. 4.* Panor. *num. 2. & 3. c. non debet. ibid.* Et hæc volui ex præallegatis Domi-

Domini Zoreri quæſtionibus, in quas caſu fortuito poſt finitum jam præſens patrocinium incidi, ea de cauſa deſcribere, ne ſolus ſingularis eſſe viderer. Plura ſimilia apud eundem *num.208. num.485. cum ſeqq. 511. cum ſeqq. num.697. num.1177.* reperientur. Quibus omnib⁹ adminiculatur inopia ipſa, cujus miſereri oportet, vt etiam Cæſares dicant, in gratiam * egenorum condi poſſe, & conditas 150.
emendari leges, *§. 1. de non elig. ſec. nub.* Greg. Tholoſ. *c. 14. num. 2.* vid. Gothof. *ad L. vn: in pr. lit. f C. de caducis toll.* vbi refert L. Valerium *apud Livium 34.* dicentem: quas tempora aliqua deſiderant leges, mortales & temporibus ipſis mutatas video: quæ in pace latæ ſunt, plerumque bellum abrogat, quæ in bello, pax.

Non igitur me morantur prædictæ Imperatoris Juſtiniani Conſtitutiones, quia * illæ 151.
obtinent rebus ſtantibus in eodem ſtatu, quo erant tempore promulgationis, non vtique illis mutatis. Iſti autem caſus fortuiti, & prorſus inſoliti, quo pretia condigna, rerum vnà cum multitudine hominum & abundantia divitiarum nimiùm decreverunt, non poſſunt intelligi cogitati tempore conſtitutionis, proinde fas non eſt modernos caſus illis comprehendere, vel dicere, eas

ſ ad

ad inſolitam calamitatẽ temporum noſtrorum pertinere.

Ad ſecundam dubitandi rationem Reſp.
152. dationem * in ſolutum non eſſe ſimpliciter beneficium, ſed relativè tantum, habitâ comparatione cum ceſſione bonorum, ac proinde invito non obtrudendum, per notata ſupra *q.1.decad.2.*

153. Ad tertiam * patet jam reſponſio ex dictis, & magis clarebit ex rationibus ſequenti quæſt: allegandis, neque id, quod de vendicandis bonis *in quæſt.1. rat.6. num.99.* dictum, intelligendum eſt de bonis apud debitorem, ſed apud alios conſtitutis, vt ex quæſt. 2. manifeſtè colligi poteſt, & ex ipſo textu Nov. 135. quem pro ſe citati Dd. ibid. allegant. Vt igitur finem huic quæſtioni tandem imponam, immota ſtat ſententia & repetita

154. Concluſio: * quod debitores illi, qui præteritis calamitatibus belli ſolvendo eſſe deſierunt, ſubſtantiam ſuam immobilem creditoribus in ſolutum regulariter dare non co-
155. gantur. In qua ſententia me * confirmat venerabilis quondam collega meus R.P. Paulus Layman p.m. Sacror. Can. in Academia Dilingana Profeſſor, qui in Theologia ſua morali *tract.2.de reſtit. c.12. num.1.* inter cætera, ad

ra, ad propoſitum meum valde conducentia, docet: ſi debitor ſolvere non poſſit, niſi domum v. g. vel prædium vendat multò minoris; ideoque longè majori ſuo detrimento, quam debitum valeat, tali caſu ſolutionem differri poſſe. Atqui hoc tempore, ſi prædia diſtrahenda, vel in ſolutum danda forent, ſæpiſſimè contingeret, vt arcem, quam quis 30000. floren: comparavit, 8. vel 10. millibus vendere deberet, & ſic de cæteris; Ergo juſtiſſima cauſa eſt, quare quis in foro etiam conſcientiæ, de quo ipſe loquitur, ſolutionem differre poſſit. Neque his obſtat, quod etiam antiquitùs poſt bellum à Julio Cæſare geſtū
* bona debitorum nihilominus fuerint cre- 156.
ditoribus in ſolutum addicta, quemadmodum ipſe *in initio lib. 3. belli civilis*, his verbis ſcribit: Dictatore habente Comitia Cæſare, conſules creantur Julius Cæſar, & P. Servilius, is enim erat annus, quo per leges ei conſulem fieri liceret. His rebus confectis, cùm fides tota Italia eſſet anguſtior, (*vid. ſup. n. 35.*) neque creditæ pecuniæ ſolverentur, conſtituit, vt
arbitri darentur, per eos fierent * æſtimatio- 157.
nes poſſeſſionum & rerum, quanti quæq; earum ante bellum fuiſſent, atque eæ creditori-
bus tranſderentur. Hoc ad * timorem nova- 158.
rum turbarum tollendum minuendumque,

qui fere bella, & civiles diſſenſiones ſequi conſuevit, & ad debitorum tuendam exiſtimationem eſſe aptiſſimum exiſtimavit. Quod ipſum eodem ferè modo narrat Sueton. Tranquill. in Julio Cæſare *c.42.* referente Gregor. Tholoſ. *p.3. lib.22. c.14. num.1.* Menoch. *de arbit. jud. quæſt. l.2. c.2. caſ.183. num.7. vbi addit: quod creditoribus fere quarta pars crediti deperierit.* Non inquam hæc obſtant, quia vt manifeſtè ex verbis allatis apparet, non fuit æſtimatio inita bonorum, in quantum valebant poſt devaſtationem, ſed quanti quæque eorum ante bellum fuiſſent, cum adhuc prædia integra, inviolata, & probè culta exiſterent. Quàm æſtimationem ſi moderni quoque creditores admittere vellent, fortaſſis debitores ſuos ad diſtrahenda bona juxta diſpoſitionem auth: *hoc niſi*, pariter vrgere poſſent, dummodo eis tantum relinquerent, quantum pro ſuſtinenda vita neceſſarium eſſet. Verum de hac æſtimatione ſuo loco plura.

QVÆ-

QVÆSTIO X.

Vtrum in debitoris arbitrio, & poteſtate ſitum ſit, prædia ſua invitis creditoribus in ſolutum dare, ſi ipſe velit?

SVMMARIA.

1. *Status quæſtionis, & n. 5.*
2. *Nov. 4. c. 3. an liceat renunciare?*
3. *An debitores poßint prædia ſua ſponte in ſolutum dare, eáve vendere, ſi creditores eos vrgeant?*
4. *Non debet illi, cui plus licet, non licere, quod eſt minus.*
6. *Ratio dubitandi prima.*
7. *Quod debet fieri ex voluntate, non eſt imponendum ex neceßitate.*
8. *Ratio dubitandi ſecunda.*
9. *Aliud pro alio invito creditori ſolvi nequit, niſi ex neceßitate fieret, n. 76. 79. & ob debitoris inopiam n. 80.*
10. *In mutuo aliud ſpecie, idem tamen in genere ſolvitur.*
11. *Ratio dub. tertia: Invitus nemo cogitur aliquid emere, nec vendere. 13. niſi in neceßitate n. 84.*

12. *Libera poteſtas eſt vnicuiq; habendi, vel non habendi contractus.*
14. *Ratio dub. quarta.*
14. *Obligatio dandi invariabilis eſt, quamdiu facultas dandi ſupereſt. n. 86.*
16. *Ratio dub. quinta.*
17. *Chirographarij creditores debitoris bona non compelluntur ſuſcipere de jure Cod. ſed Novell. n. 89. vel quamdiu alia ſolvendi media ſuppetunt. n. 91.*
18. *Ratio dub. ſexta.*
19. *Creditores pro debito addici ſibi bona debitoris non jure poſtulant; variæ declarationes hujus regulæ. n. 93.*
20. *Contrahentium debet eſſe æqualis conditio.*
21. *Ratio dub. ſeptima.*
22. *Res debitoris judicis authoritate venire debent in executionibus, factâ prius licitatione.*
23. *Ratio dub. octava ex prædiorum æſtimatione deſumpta.*
24. *Ratio dub. nona.*
25. *Æſtimatio judicis parti neceſſitatem non adfert, rem eâ quantitate ſuſcipiendi.*
26. *Neminem alienâ moleſtari culpâ vel inertiâ convenit.*
27. *Ratio dub. decima ex inæqualitate pretij & debiti deducta.*
28. *Ratio dub. vndecima.*

29. *Reo non permittitur actorem eludere & circumducere.*

30. *Ratio duodecima.*

VT ſtatus * præſentis quæſtionis rectè intelligatur, ſciendum eſt, non id hoc loco quæri, an debitores poſſint beneficio Novellæ quartæ * renunciare, quod negare videtur Bart: *ibi: num. 9.* per Rationem: quia pactum illud ſit turpe, & contra humanitatem & charitatem, quod debitor ſit ſibi acerbus, & durus. Id tamen ego non video, cum non oriatur inde major acerbitas, quam vt fortaſſis cogatur bonis cedere, ceſſio autem bonorum, præſertim ex ſpontanea voluntate procedens, tam dura non eſt, ut in debitores calamitoſos cadere nequeat, quemadmodum oſtendi ſupra *q. 6. per tot. ubi vid. n. 167. & q. 8. n. 91.* 1. 2.

Neq; illud hic quæritur: an debitores * ſponte, & volentes poſſint neglecto beneficio, de quo ſupra *q. 9.* prædia ſua in ſolutum dare, eáue vendere, ſi creditores ipſi inſtent, petant, & eos ad hoc urgeant, nam cum dictum ſit *quæſt. 6.* ipſos poſſe ad inſtantiam creditorum bonis univerſis cedere, quod eſt longè plus, cur non poſſent unum alterumvè prædium vendere, vel creditori in ſolu- 3.

rum relinquere, quod eſt longè minus? non
4. debet *vtique illi, cui plus licet, non licere, quod eſt minus, *L. non debet 21. ff. de reg. Iur.* Et aliqui ita ſunt comparati, vt malint creditoribus etiam cum ſuo detrimento ſatisfacere, quam debere.

5. Sed illud potiſſimum hic quæritur: *quandoquidem in præced: quæſt: vidimus, debitores invitos calamitatibus belli ad inopiam redactos cogi non poſſe, vt creditoribus bona, & ſubſtantiam immobilem in ſolutum concedant, vtrum ſaltem in ſolutum dare poſſint, ſi velint? & quidem creditoribus invitis?

6. Ratio * dubitandi prima deſumitur ex Nov. 4. *c. quod autem* ex verbis illis: „damus „creditori licentiam volenti immobiles res accipere pro auro. Ex quibus inferri poſſe videtur, id reponi in voluntatem, & liberum arbitrium creditoris, vt proinde non poſſit
7. cogi ad hoc invitus, juxta reg: quod * debet fieri ex voluntate, non eſt imponendum ex neceſſitate. *L. ſolent. 6. vbi Bart. in pr. ff. de off. proc.* Weſenb. *n. 7. C. de recept.*

8. Ratio * dubitandi ſecunda: Juxta notiſſi-
9. mum juris principium: aliud * pro alio invito creditori ſolvi nequit, *text. in L. 2. §. mutui datio. ff. de rebus credit*: Weſenb. *num. 4.*

ff. de

ff.de ſolut. qui autem in ſolutum dat res ſuas immobiles, cum pecunias debeat, haud dubiè aliud pro alio ſolvit, ergo non poteſt fieri creditore invito. Etſi enim * in mutuo aliud 10.
quidem ſpecie, idem tamen in genere ſaltem ſolvitur, vt pro aureis aurei, eodem numero; pro tritico triticum eadem menſurâ; aliud vero genere, ſive res prorſus diſſimilis invito creditori ſolvi non poteſt, veluti pro pecunia oleum, niſi ita convenerit, *L. eo quod C. ſi cert. pet. L. 10. 16. 17. C. de ſolut.* Cujac. *ad Nov. 4. verſ. ſequitur poſterior.* Bart. *ad eandem Nov. n. 2. & 3.* vbi aliter diſtinguit.

Ratio * dubitandi tertia: Invitus nemo 11.
cogitur aliquid emere; *L. invitum 12. C. de contrahend. empt.* Cardin. Tuſch. *commun. pract. concluſ. lit. E. concluſ. 117.* tum quia * libera po- 12.
teſtas vnicuique eſt habendi, vel non habendi contractus, *L. ſicut 5. C. de O. & A.* tum quia emptio & venditio talis contractus eſt, qui præcipuè conſenſu conſtat, § *vn. inſt. de oblig. ex conſenſu.* Qui autem in ſolutum accipit res immobiles, eas quodammodo emit, accipit enim pro pretio mercem, ergo non videtur ad hoc contra ſuam voluntatem poſſe compelli, ſicut nec debitor * compelli poteſt ad 13.
vendendum. *L. nec emere C. de jure delib. L. Imperator. 71. ff. de contrahenda emptione, argt. L.*

invitum C. eod. Cardin., Tuſch. *pract. concluſ. lit.* E. *concluſ. 117.*

14. Ratio * dubitandi quarta: Obligatio dan-
15. di ex parte creditoris, & debitoris eſt * invariabilis, ſemperque res peti debet, & præſtari, quæ in obligationem fuit deducta, *Dd. L. ubi autem. 75. §. fin. ff. de V. O.* Vide ſupra *decad. 1. q. 8. n. 41. cum ſeqq.*

16. Ratio * dubitandi quinta deſumitur *ex L. 4. C. de bonis auth. jud. poſsid.* ubi Imperator Diocletianus & Maxim. ſic reſcribunt: In-
17. civile eſt, quod poſtulas, ut unus ex * chirographarijs creditoribus debitoris bona compellatur ſuſcipere, *vid. ſup. q. 9. n. 25.*

18. Ratio * dubitandi ſexta deducitur *ex L. 6. C. eod. tit.* ubi illi ipſi Imperatores ſic ſta-
19. tuerunt: pro debito * creditores addici ſibi bona ſui debitoris non jure poſtulant; ſi ergo creditores bona pro pecunijs non rectè petunt, videntur etiam debitores non rectè pro
20. pecunijs bona ſolvere, ut contrahentium * ſit æqualis conditio, Mynſ. *cent. 4. obſer. 61. num. 11.*

21. Ratio * dubitandi ſeptima: Omnia jura conſenſu unanimi ajunt, res debitoris judi-
22. cis authoritate venire * oportere, quoad poſſint, facta licitatione, Jacob. Schultes. *quæſt. pract. quæſt. 42. n. 2.* ubi allegat. *L. cum propo-*

nas. 9.

nas. 9. inf. C. de bon. auth. jud. poſſid. L. ſi cauſam 2. in pr. C. de execut. rei jud. L. res 1. & L. cum in cauſa 2. in pr. C. ſi in cauſa judic. pign. cap. ſit L. ſi. pignora 50. ff. de evict. L. à Divo Pio 15. §. item 10. ibi, ut quod eis facilius ff. de reb. jud. L. venire 1. & duab. LL. ſeqq. ff. de reb. auth. jud. poſſid. ad hoc nimirum, ut pretium inde redactum creditori ſolvatur, ergo cogi non poteſt ipſe rem emere, vel in ſolutum, quod in effectu idem eſt, accipere. *vid. q. 9. n. 26.*

Ratio * dubitandi octava: Si permiſſum 23.
eſſet debitori dare ſubſtantiam immobilem in ſolutum creditori ſuo, deberet id fieri certâ quadam æſtimatione: atqui in æſtimatione non convenient, quia debitor volet æſtimationem, quæ fuit tempore contractûs, quo v. g. unum jugerum agri valebat 100. & amplius florenis; creditor autem deſiderabit æſtimationem juxta tempus modernum, quo vix valet 10. vel 20. ergo ſi nulla alia de cauſa, ſaltem ratione incertitudinis cadere videtur in ſolutum datio.

Ratio * dubitandi nona: Etiamſi vellemus 24.
ad judicem recurrere, tamen rerum quoque
* æſtimationes, quas judex facit, tametſi 25.
rem tanti præſumi efficiant, non tamen neceſſitatem omnimodam parti adferunt, rem ea quantitate ſuſcipiendi, Jacob. Schult. *loc.*

cit.

cit.n.7.argt.L.videamus 4.§.jurare 2,verſ.an igitur,& §.item videndum 3.ff.de in lit.jur. additq; rationem, nam ſi forte pluris res æſtimata eſt, quàm verè ſit, damnum hoc, quantò res minoris eſt, in creditorem redundaret, nihil ſuâ culpâ commerentem, quin potius debitoris culpa eſt, qui non ſolvendo quod debet, ad hanc executionis viam neceſſariò capeſſen-
26. dam creditorem pertraxit, neminem *autem alienâ moleſtari culpâ, vel inertiâ convenit, *per L.ſi pariter 9.in pr.ff.de liberal.cauſ.L.non debet 75.ff.de regulis juris.*

27. Ratio * dubitandi decima: Rarò contingit, vt debitum ſit æquale pretio bonorum immobilium, ſed vel majus vel minus, ergo non poteſt vt ſic ſolutio fieri, *vid.ſup.quæſt.9. num.47.*

28. Ratio * dubitandi vndecima: Si permitteretur debitori dare res immobiles in ſolutum, poſſet ipſe res meliores ſibi reſervare, deteriores verò, v.g. agros ſteriles, vel ruinoſas domos creditoribus relinquere, vel res litigioſas aut prorſus alienas obtrudere, atque ſic eoſdem eludere, quod ipſis permit-
29. ti non debet, quia * reo non eſt permittendum actorem eludere, vel circumducere, *argt.L.inter ſtipulantem 83.§.1.ff.de V.O.* Weſenb.*num.5.ff.qui ſatiſdare coguntur,id.* Weſenb.

ſenb.*n.2.ff.de eo quod certo loc.id.n.9.in f.ff.de hæred.pet.*

Ratio * duodecima: Creditor non poteſt operas petere pro pecunia, vt dictum ſupra *decad.1.q.9.* ergo nec debitor ſolvere prædia pro pecunia. 30.

SVMMARIA.

31. Debitor calamitoſus prædia invito creditori in ſolutum dare poteſt, auctore Bartolo 32. Angelo.

33. Matthia Stephani. 34.

35. Rationes ex verbis textûs deſumptæ.

36. Nihil voluntati tam eſt contrarium, quam coactio.

37. Vndiq; creditoribus ita providendum, vt non debitores graventur.

38. Ratio cur Imp. Iuſtin. neceßitatem accipiendi prædia pro pecunia creditori impoſuerit.

39. Etiam ceßione bonorum factâ creditores ſubinde prædia in ſolutum accipere coguntur.

40. Declaratio ſuperioris rationis.

41. Quod multifariam fieri poteſt, juſtius & æquius eſt, id mitiori modo fieri.

42. Qui diſtinguit, proximus eſt veritati.

43. Diſtinctio auctoris in hac materia.

44. Datio in ſolutum non ſubſiſtit, quando creditores non urgent.
45. Rationes ex textu petitæ.
46. Datio in ſolutum procedit, quando creditores ſolutionem urgent.
47. Creditor petens ſibi ſatisfieri, petit id meliori modo fieri, quo poteſt.
48. Ergo petit hoc ipſo prædia in ſolutum.
49. Connexa uniûs loco habentur.
50. Inſpiciendum eſt, quod evenire poteſt.
51. Cautela pro creditoribus & n. 58. 60.
52. Paria ſunt pecunias habere, & habere poſſe.
53. Actor rem diligenter explorare, & certus eſſe debet de jure ſuo, & non niſi re bene meditatâ litem ingredi 54.
55. Conſilium ante factum capiendum.
56. Præcipitatæ deliberationis comes eſt pœnitentia.
57. Invitus nemo cogitur agere.
59. Variationes juri ſunt inimicæ.

31. VErùm his, & ſimilibus non obſtantibus, indubitatū * eſſe debet, quod debitor calamitatibus belli ad inopiam redactus, & qui ſolvendo aliàs non eſt, poſſit, ſi velit, bona ſua in ſolutum dare, & creditor in ſolutum debeat acceptare; idque per text. eviden-

evidentiſſimum in Novell. *de fidejuſſoribus 4. c. quod autem 3.* in his ipſis terminis loquentem, quem * Bart. ſic ſummat: ut cre- 32.
ditor, qui à debitore debitum recipere non valet, compellatur in ſolutum res ejus immobiles accipere. Sic etiam Angel. * de 33.
Perus. *ad Novell. 4.* creditor, inquit, cogitur in ſolutum accipere de bonis melioribus, usque ad ſatisfactionem condignam, & Matthæus * Stephani *ibid. num. 37.* dicit No- 34.
vellam 4. procedere tunc, quando creditor invitus rem in ſolutum accipit. Quod autem ex voluntate debitoris dependeat, & creditor neceſſitati ſupponatur, id colligitur ex multis in hanc ſententiam prolatis verbis. Nam * primò dicitur in princi- 35.
pio ſtatim: licet quibusdam creditoribus „
id forte non ſit gratum, à nobis tamen pro- „
pter clementiam ſancitur. Secundò, *in §.* „
rerum verò creditorem coactum ſuſcipere „
poſſeſſionem immobilem; Ergo in creditoris arbitrio non eſt, an ſuſcipere velit, nec ne, quia nihil * libero arbitrio tam contrarium 36.
eſt, quam coactio: *argt. L. nihil 116. ff. de reg. juris.* Tertiò, dicit Imperator ſe infelicibus „
debitoribus auxiliari. *§. agnoſcant & in f. ibi.* „
vndique * creditoribus ita providendum eſ- 37.
ſe, vt non debitores graventur. Ad quæ verba Jacob Schult: *l. ſupra cit. num. 11.* ſic ratioci-

riſque ſtricti acumen, vel etiam municipalium ſanctionum regularem tenorem non omninò dicit obſervandum, ſed ei jubente Seneca *3. de benefic. c. 7.* ſecundum liberam, & nullis adſtrictam vinculis religionem detrahendum aliquid, & adijciendum, neque omnia, prout lex & juſtitia ſuadere videtur, ſed prout humanitas & miſericordia impellit, concipienda; & cum varias vtilitates hinc orituras enarâſſet, ſubdit tandem *num. 554.* eas omnes ſperari non poſſe, ſi ſequi velimus regulas juris ſtricti, & juxta eas præ-
148. ſentes controverſias decidere, cum * caſus belli extraordinarij ſint, quibus omnes leges, ſtatuta, & conſuetudines cedere debeant; nihilque communius eſſe, quàm vt pro varietate temporum ex bono & æquo juri publico, & naturali addi aliquid, vel derogari in aliquo poſſit; imò ad varietatem temporum ſtatuta humana mutari debere,
149. & poſtea in fin: ſubjungit: ætatem * noſtri temporis non pati rigorem antiquorum jurium, ſed neceſſitate vrgente, vel propter vtilitatem evidentem recedi à diſpoſitione juris, cum finis legum concernat neceſſitatem, vel vtilitatem ſubjectorum, *c. erit & ibi gl. diſt. 4. c. ſi Eccleſia 23. q. 4.* Panor. *num. 2. & 3. c. non debet. ibid.* Et hæc volui ex præallegatis Domi-

Domini Zoreri quæſtionibus, in quas caſu fortuito poſt finitum jam præſens patrocinium incidi, ea de cauſa deſcribere, ne ſolus ſingularis eſſe viderer. Plura ſimilia apud eundem *num.208. num.485. cum ſeqq. 511. cum ſeqq. num.697. num.1177.* reperientur. Quibus omnib⁹ adminiculatur inopia ipſa, cujus miſereri oportet, vt etiam Cæſares dicant, in gratiam * egenorum condi poſſe, & conditas 150.
emendari leges, *§. 1. de non elig. ſec. nub.* Greg. Tholoſ. *c. 14. num. 2.* vid. Gothof. *ad L. vn: in pr. lit. f C. de caducis toll.* vbi refert L. Valerium *apud Livium 34.* dicentem: quas tempora aliqua deſiderant leges, mortales & temporibus ipſis mutatas video: quæ in pace latæ ſunt, plerumque bellum abrogat, quæ in bello, pax.

Non igitur me morantur prædictæ Imperatoris Juſtiniani Conſtitutiones, quia * illæ 151.
obtinent rebus ſtantibus in eodem ſtatu, quo erant tempore promulgationis, non vtique illis mutatis. Iſti autem caſus fortuiti, & prorſus inſoliti, quo pretia condigna, rerum vnà cum multitudine hominum & abundantia divitiarum nimiùm decreverunt, non poſſunt intelligi cogitati tempore conſtitutionis, proinde fas non eſt modernos caſus illis comprehendere, vel dicere, eas

ad inſolitam calamitatē temporum noſtrorum pertinere.

Ad ſecundam dubitandi rationem Reſp.
152. dationem * in ſolutum non eſſe ſimpliciter beneficium, ſed relativè tantum, habitâ comparatione cum ceſſione bonorum, ac proinde invito non obtrudendum, per notata ſupra *q.1.decad.2.*

153. Ad tertiam * patet jam reſponſio ex dictis, & magis clarebit ex rationibus ſequenti quæſt: allegandis, neque id, quod de vendicandis bonis *in quæſt.1.rat.6.num.99.* dictum, intelligendum eſt de bonis apud debitorem, ſed apud alios conſtitutis, vt ex quæſt. 2. manifeſtè colligi poteſt, & ex ipſo textu Nov. 135. quem pro ſe citati Dd. ibid. allegant. Vt igitur finem huic quæſtioni tandem imponam, immota ſtat ſententia & repetita

154. Concluſio: * quod debitores illi, qui præteritis calamitatibus belli ſolvendo eſſe deſierunt, ſubſtantiam ſuam immobilem creditoribus in ſolutum regulariter dare non co-
155. gantur. In qua ſententia me * confirmat venerabilis quondam collega meus R.P. Paulus Layman p. m. Sacror. Can. in Academia Dilingana Profeſſor, qui in Theologia ſua morali *tract.2.de reſtit.c.12.num.1.* inter cætera, ad

ra, ad propoſitum meum valde conducentia, docet: ſi debitor ſolvere non poſſit, niſi domum v. g. vel prædium vendat multò minoris; ideoque longè majori ſuo detrimento, quam debitum valeat, tali caſu ſolutionem differri poſſe. Atqui hoc tempore, ſi prædia diſtrahenda, vel in ſolutum danda forent, ſæpiſſimè contingeret, vt arcem, quam quis 30000. floren: comparavit, 8. vel 10. millibus vendere deberet, & ſic de cæteris; Ergo juſtiſſima cauſa eſt, quare quis in foro etiam conſcientiæ, de quo ipſe loquitur, ſolutionem differre poſſit. Neque his obſtat, quod etiam antiquitùs poſt bellum à Julio Cæſare geſtū
* bona debitorum nihilominus fuerint creditoribus in ſolutum addicta, quemadmodum ipſe *in initio lib. 3. belli civilis*, his verbis ſcribit: Dictatore habente Comitia Cæſare, conſules creantur Julius Cæſar, & P. Servilius, is enim erat annus, quo per leges ei conſulem fieri liceret. His rebus confectis, cum fides tota Italia eſſet anguſtior, (*vid. ſup. n. 35.*) neque creditæ pecuniæ ſolverentur, conſtituit, vt arbitri darentur, per eos fierent * æſtimationes poſſeſſionum & rerum, quanti quæq; earum ante bellum fuiſſent, atque eæ creditoribus transderentur. Hoc ad * timorem novarum turbarum tollendum minuendumque,

156.

157.

158.

qui fere bella, & civiles diſſenſiones ſequi conſuevit, & ad debitorum tuendam exiſtimationem eſſe aptiſſimum exiſtimavit. Quod ipſum eodem ferè modo narrat Sueton. Tranquill. in Julio Cæſare *c. 42.* referente Gregor. Tholoſ, *p. 3. lib. 22. c. 14. num. 1.* Menoch. *de arbit. jud: quæſt. l. 2. c. 2. caſ. 183. num. 7. vbi addit: quod creditoribus fere quarta pars crediti deperierit.* Non inquam hæc obſtant, quia vt manifeſtè ex verbis allatis apparet, non fuit æſtimatio inita bonorum, in quantum valebant poſt devaſtationem, ſed quanti quæquè eorum ante bellum fuiſſent, cum adhuc prædia integra, inviolata, & probè culta exiſterent. Quàm æſtimationem ſi moderni quoque creditores admittere vellent, fortaſſis debitores ſuos ad diſtrahenda bona juxta diſpoſitionem auth: *hoc niſi*, pariter vrgere poſſent, dummodo eis tantum relinquerent, quantum pro ſuſtinenda vita neceſſarium eſſet. Verum de hac æſtimatione ſuo loco plura.

QVÆ-

QVÆSTIO X.

Vtrum in debitoris arbitrio, & poteſtate ſitum ſit, prædia ſua invitis creditoribus in ſolutum dare, ſi ipſe velit?

SVMMARIA.

1. *Status quæſtionis, & n.5.*
2. *Nov.4.c.3. an liceat renunciare?*
3. *An debitores poßint prædia ſua ſponte in ſolutum dare, eáve vendere, ſi creditores eos vrgeant?*
4. *Non debet illi, cui plus licet, non licere, quod eſt minus.*
6. *Ratio dubitandi prima.*
7. *Quod debet fieri ex voluntate, non eſt imponendum ex neceßitate.*
8. *Ratio dubitandi ſecunda.*
9. *Aliud pro alio invito creditori ſolvi nequit, niſi ex neceßitate fieret, n.76.79. & ob debitoris inopiam n.80.*
10. *In mutuo aliud ſpecie, idem tamen in genere ſolvitur.*
11. *Ratio dub. tertia: Invitus nemo cogitur aliquid emere, nec vendere. 13. niſi in neceßitate n.84.*

12. *Libera poteſtas eſt vnicuiq; habendi, vel non habendi contractus.*
14. *Ratio dub. quarta.*
14. *Obligatio dandi invariabilis eſt, quamdiu facultas dandi ſupereſt. n. 86.*
16. *Ratio dub. quinta.*
17. *Chirographarij creditores debitoris bona non compelluntur ſuſcipere de jure Cod. ſed Novell. n. 89. vel quamdiu alia ſolvendi media ſuppetunt. n. 91.*
18. *Ratio dub. ſexta.*
19. *Creditores pro debito addici ſibi bona debitoris non jure poſtulant; variæ declarationes hujus regulæ. n. 93.*
20. *Contrahentium debet eſſe æqualis conditio.*
21. *Ratio dub. ſeptima.*
22. *Res debitoris judicis authoritate venire debent in executionibus, factâ prius licitatione.*
23. *Ratio dub. octava ex prædiorum æſtimatione deſumpta.*
24. *Ratio dub. nona.*
25. *Æſtimatio judicis parti neceſſitatem non adfert, rem eâ quantitate ſuſcipiendi.*
26. *Neminem alienâ moleſtari culpâ vel inertiâ convenit.*
27. *Ratio dub. decima ex inæqualitate pretij & debiti deducta.*
28. *Ratio dub. vndecima.*

29. *Reo non permittitur actorem eludere & circumducere.*

30. *Ratio duodecima.*

VT ſtatus * præſentis quæſtionis recte intelligatur, ſciendum eſt, non id hoc loco quæri, an debitores poſſint beneficio Novellæ quartæ * re- 1.
nunciare, quod negare videtur Bart: *ibi: num. 9.* per Rationem: quia pactum illud ſit turpe, & contra humanitatem & charitatem, quod debitor ſit ſibi acerbus, & durus. Id tamen ego non video, cum non oriatur inde major acerbitas, quam vt fortaſſis cogatur bonis cedere, ceſſio autem bonorum, præſertim ex ſpontanea voluntate procedens, tam dura non eſt, ut in debitores calamitoſos cadere nequeat, quemadmodum oſtendi ſupra *q. 6. per tot. ubi vid. n. 167. & q. 8. n. 91.* 2.

Neq; illud hic quæritur; an debitores * 3.
ſponte, & volentes poſſint neglecto beneficio, de quo ſupra *q. 9.* prædia ſua in ſolutum dare, eáue vendere, ſi creditores ipſi inſtent, petant, & eos ad hoc urgeant, nam cum dictum ſit *quæſt. 6.* ipſos poſſe ad inſtantiam creditorum bonis univerſis cedere, quod eſt longè plus, cur non poſſent unum alterumvè prædium vendere, vel creditori in ſolu-

ff.de ſolut. qui autem in ſolutum dat res ſuas immobiles, cum pecunias debeat, haud dubiè aliud pro alio ſolvit, ergo non poteſt fieri creditore invito. Etſi enim * in mutuo aliud 10. quidem ſpecie, idem tamen in genere ſaltem ſolvitur, vt pro aureis aurei, eodem numero; pro tritico triticum eadem menſurâ; aliud vero genere, ſive res prorſus diſſimilis invito creditori ſolvi non poteſt, veluti pro pecunia oleum, niſi ita convenerit, *L. eo quod C. ſi cert. pet. L. 10. 16. 17. C. de ſolut.* Cujac. *ad Nov. 4. verſ. ſequitur poſterior.* Bart. *ad eandem Nov. n. 2. & 3.* vbi aliter diſtinguit.

Ratio * dubitandi tertia: Invitus nemo 11. cogitur aliquid emere, *L. invitum 12. C. de contrahend. empt.* Cardin. Tuſch. *commun. pract. concluſ. lit. E. concluſ. 117.* tum quia * libera po- 12. teſtas vnicuique eſt habendi, vel non habendi contractus, *L. ſicut 5. C. de O. & A.* tum quia emptio & venditio talis contractus eſt, qui præcipuè conſenſu conſtat, § *vn. inſt. de oblig. ex conſenſu.* Qui autem in ſolutum accipit res immobiles, eas quodammodo emit, accipit enim pro pretio mercem, ergo non videtur ad hoc contra ſuam voluntatem poſſe compelli, ſicut nec debitor * compelli poteſt ad 13. vendendum. *L. nec emere C. de jure delib. L. Imperator. 71. ff. de contrahenda emptione, argt. L.*

invitum C. eod. Cardin, Tuſch. *pract. concluſ. lit.* E. *concluſ. 117.*

14. Ratio * dubitandi quarta: Obligatio dan-
15. di ex parte creditoris, & debitoris eſt * invariabilis, ſemperque res peti debet, & præſtari, quæ in obligationem fuit deducta, *Dd. L. ubi autem. 75. §. fin. ff. de V. O.* Vide ſupra *decad. 1. q. 8. n. 41. cum ſeqq.*

16. Ratio * dubitandi quinta deſumitur *ex L. 4. C. de bonis auth. jud. poßid.* ubi Imperator Diocletianus & Maxim. ſic reſcribunt: In-
17. civile eſt, quod poſtulas, ut unus ex * chirographarijs creditoribus debitoris bona compellatur ſuſcipere, *vid. ſup. q. 9. n. 25.*

18. Ratio * dubitandi ſexta deducitur *ex L. 6. C. eod. tit.* ubi illi ipſi Imperatores ſic ſta-
19. tuerunt: pro debito * creditores addici ſibi bona ſui debitoris non jure poſtulant; ſi ergo creditores bona pro pecunijs non rectè petunt, videntur etiam debitores non rectè pro
20. pecunijs bona ſolvere, ut contrahentium * ſit æqualis conditio, Mynſ. *cent. 4. obſer. 61. num. 11.*

21. Ratio * dubitandi ſeptima: Omnia jura conſenſu unanimi ajunt, res debitoris judi-
22. cis authoritate venire * oportere, quoad poſſint, facta licitatione, Jacob. Schultes. *quæſt. pract. quæſt. 42. n. 2.* ubi allegat. *L. cum propo-*

nas. 9.

nas. 9. inf. C. de bon. auth. jud. poſſid. L. ſi cauſam 2. in pr. C. de execut. rei jud. L. res 1. & L. cum in cauſa 2. in pr. C. ſi in cauſa judic. pign. cap. ſit L. ſi. pignora 50. ff. de evict. L. à Divo Pio 15. §. item 10. ibi, ut quod eis facilius ff. de reb. jud. L. venire 1. & duab. LL. ſeqq. ff. de reb. auth. jud. poſſid. ad hoc nimirum, ut pretium inde redactum creditori ſolvatur, ergo cogi non poteſt ipſe rem emere, vel in ſolutum, quod in effectu idem eſt, accipere. *vid. q. 9. n. 26.*

Ratio * dubitandi octava: Si permiſſum eſſet debitori dare ſubſtantiam immobilem in ſolutum creditori ſuo, deberet id fieri certâ quadam æſtimatione: atqui in æſtimatione non convenient, quia debitor volet æſtimationem, quæ fuit tempore contractûs, quo v. g. unum jugerum agri valebat 100. & amplius florenis; creditor autem deſiderabit eſtimationem juxta tempus modernum, quo vix valet 10. vel 20. ergo ſi nulla alia de cauſa, ſaltem ratione incertitudinis cadere videtur in ſolutum datio. 23.

Ratio * dubitandi nona: Etiamſi vellemus ad judicem recurrere, tamen rerum quoque * æſtimationes, quas judex facit, tametſi rem tanti præſumi efficiant, non tamen neceſſitatem omnimodam parti adferunt, rem ea quantitate ſuſcipiendi, Jacob. Schult. *loc. cit.* 24. 25.

cit.n.7.argt.L.videamus 4.§.jurare 2,verſ.an igitur,& §.item videndum 3.ff.de in lit.jur. additq; rationem, nam ſi forte pluris res æſtimata eſt, quàm verè ſit, damnum hoc, quantò res minoris eſt, in creditorem redundaret, nihil ſuâ culpâ commerentem, quin potius debitoris culpa eſt, qui non ſolvendo quod debet, ad hanc executionis viam neceſſariò capeſſen-
26. dam creditorem pertraxit, neminem *autem alienâ moleſtari culpâ, vel inertiâ convenit, *per L.ſi pariter 9.in pr.ff.de liberal.cauſ.L.non debet 75.ff.de regulis juris.*

27. Ratio * dubitandi decima: Raró contingit, vt debitum ſit æquale pretio bonorum immobilium, ſed vel majus vel minus, ergo non poteſt vt ſic ſolutio fieri, *vid.ſup.quæſt.9.num.47.*

28. Ratio * dubitandi vndecima: Si permitteretur debitori dare res immobiles in ſolutum, poſſet ipſe res meliores ſibi reſervare, deteriores verò, v.g. agros ſteriles, vel ruinoſas domos creditoribus relinquere, vel res litigioſas aut prorſus alienas obtrudere, atque ſic eoſdem eludere, quod ipſis permit-
29. ti non debet, quia * reo non eſt permittendum actorem eludere, vel circumducere, *argt.L.inter ſtipulantem 83.§.1.ff.de V.O.* Weſenb.*num.5.ff.qui ſatiſdare coguntur,id.* Weſenb.

ſenb.*n.2.ff.de eo quod certo loc.id.n.9.in f.ff.de hæred.pet.*

Ratio * duodecima: Creditor non poteſt 30.
operas petere pro pecunia, vt dictum ſupra *decad.1.q.9.* ergo nec debitor ſolvere prædia pro pecunia.

SVMMARIA.

31. *Debitor calamitoſus prædia invito creditori in ſolutum dare poteſt, auctore Bartolo* 32. *Angelo.*

33. *Matthia Stephani.*34.

35. *Rationes ex verbis textûs deſumpta.*

36. *Nihil voluntati tam eſt contrarium, quam coactio.*

37. *Vndiq; creditoribus ita providendum, vt non debitores graventur.*

38. *Ratio cur Imp. Iuſtin. neceßitatem accipiendi prædia pro pecunia creditori impoſuerit.*

39. *Etiam ceßione bonorum factâ creditores ſubinde prædia in ſolutum accipere coguntur.*

40. *Declaratio ſuperioris rationis.*

41. *Quod multifariam fieri poteſt, juſtius & æquius eſt, id mitiori modo fieri.*

42. *Qui diſtinguit, proximus eſt veritati.*

43. *Diſtinctio auctoris in hac materia.*

44.Da-

44. *Datio in ſolutum non ſubſiſtit, quando creditores non urgent.*
45. *Rationes ex textu petitæ.*
46. *Datio in ſolutum procedit, quando creditores ſolutionem urgent.*
47. *Creditor petens ſibi ſatisfieri, petit id meliori modo fieri, quo poteſt.*
48. *Ergo petit hoc ipſo prædia in ſolutum.*
49. *Connexa uniûs loco habentur.*
50. *Inſpiciendum eſt, quod evenire poteſt.*
51. *Cautela pro creditoribus & n. 58. 60.*
52. *Paria ſunt pecunias habere, & habere poſſe.*
53. *Actor rem diligenter explorare, & certus eſſe debet de jure ſuo, & non niſi re bene meditatâ litem ingredi 54.*
55. *Conſilium ante factum capiendum.*
56. *Præcipitatæ deliberationis comes eſt pœnitentia.*
57. *Invitus nemo cogitur agere.*
59. *Variationes juri ſunt inimicæ.*

31. VErùm his, & ſimilibus non obſtantibus, indubitatũ * eſſe debet, quod debitor calamitatibus belli ad inopiam redactus, & qui ſolvendo aliàs non eſt, poſſit, ſi velit, bona ſua in ſolutum dare, & creditor in ſolutum debeat acceptare; idque per text. eviden-

evidentiſſimum in Novell. *de fidejuſſoribus 4. c. quod autem 3.* in his ipſis terminis loquentem, quem * Bart. ſic ſummat: ut cre- 32.
ditor, qui à debitore debitum recipere non valet, compellatur in ſolutum res ejus immobiles accipere. Sic etiam Angel. * de 33.
Peruſ. *ad Novell. 4.* creditor, inquit, cogitur in ſolutum accipere de bonis melioribus, usque ad ſatisfactionem condignam, & Matthæus * Stephani *ibid. num. 37.* dicit No- 34.
vellam 4. procedere tunc, quando creditor invitus rem in ſolutum accipit. Quod autem ex voluntate debitoris dependeat, & creditor neceſſitati ſupponatur, id colligitur ex multis in hanc ſententiam prolatis verbis. Nam * primò dicitur in princi- 35.
pio ſtatim: licet quibusdam creditoribus „
id forte non ſit gratum, à nobis tamen pro- „
pter clementiam ſancitur. Secundò, *in §.* „
rerum verò creditorem coactum ſuſcipere „
poſſeſſionem immobilem; Ergo in creditoris arbitrio non eſt, an ſuſcipere velit, nec ne, quia nihil * libero arbitrio tam contrarium 36.
eſt, quam coactio: *argt. L. nihil 116. ff. de reg. juris.* Tertiò, dicit Imperator ſe infelicibus „
debitoribus auxiliari. *§. agnoſcant & in f. ibi.* „
vndique * creditoribus ita providendum eſ- 37.
ſe, vt non debitores graventur. Ad quæ verba Jacob Schult: *l. ſupra cit. num. 11.* ſic ratioci-

tiocinatur: quid enim hic commodi, vel auxilij debitorib⁹ eſſet, ſi creditores ad id, quod conſtitutio ſancit, non cogerentur?

Quod quartò etiam manifeſtiùs firmare
,, ait illa verba textus: *agnoſcant autem debitores.* Ex quibus infert, ergo neceſſariò agnoſcent, quia lex cogit, & imperat, *L. legis virtus 7. ff. de LL.* Quintò: deprehenditur idipſum ex verbis *auth. hoc niſi. C. de ſolut. ibi:* vt rem
,, prædictam, & debitori ſolvere, & creditori li-
,, ceat petere. Vt autem appareat Imperato-
38. rem * Juſtinianum magnâ æquitate ductum hanc conſtitutionem feciſſe, & neceſſitatem accipiendi prædia pro pecunia, creditori imponere voluiſſe, aſſignat ipſe Rationem, quare cogantur *in §. agnoſcant autem*, his verbis:
,, agnoſcant autem debitores, quia et ſi non
,, ſcripſiſſemus hanc legem, neceſſitatis tamē
,, ratio ad hanc cauſam perduceret. Si enim
,, non ſit idoneus pecuniarum, (& non ſol-
,, vendo) debitor, nec vllus emptor ſit: nihil
,, aliud facturus erat (ad ſubterfugiendam
,, moleſtiam creditoris,) quàm proprijs bo-
,, nis cedere, & rurſus ad creditorem meritò
,, veniret, aurum percipere non valentem.
39. ,, Quamobrem * quo (ceſſio) cum injuria &
,, effectu acerbo perduceret creditorem, &
,, debitorem, hoc nos clementer ſimul & le-

gali-

galiter decidentes, infelicibus (id eſt adversâ fortunâ oppreſſis) debitorib⁹ auxiliamur, & acerbis creditoribus non apparebimus duri, cauſam eis deputantes, (ſive id illis injungentes,) ad quod ſi permanerent inobedientes, (vel pergerent dicto minùs audientes eſſe,) tamen modis omnibus pervenirent, ita Imperator in text. & Holoand. Agylæ. & Scrimgerus interpretes, Matth. Stephani. *ibid. n.2.* Cujac. *ibid. verſ. neq; vero illud.* Itaq; in effectu ita vult dicere, & argumentari Imperator:

Primò: quod * aliàs extra hanc legem, nihilominus tandem creditores facere oporteret; id non eſt iniquum, vt faciant juſſi iſtâ novâ lege, & conſtitutione, Jacob. Schult. *q. 42. n.11.* atqui extra hanc legem nihilominus tandem recipere deberent bona in ſolutum, ergo &c. Minor probatur, quia ſi ab initio creditores nollent accipere in ſolutum bona immobilia, & debitorem, qui numeratam pecuniam, vel res mobiles non habet, ad ſolvendum vrgerent, non poſſet debitor quicquam aliud facere, quam flebile ceſſionis adjutorium arripere, & bonis cedere, Mynſ. *pr. §. fin. inſtit. de action.* Ergo res eò deveniret, vt bona deberent ſubhaſtari, & ſub voce præconis vendi, *L.4. C. qui bonis ced. poſſ.* & ſi emptor nullus reperiretur, creditorib⁹ tandem in ſolutum dari. Vnde emanat 40.

t Argu-

Argumentum ſecundum: nimirum tale:
41. Quod * multifariàm fieri poteſt, juſtius & æquius eſt, id mitiori modo fieri, *argt. L. ſi ſuperſtite 5. C. de dol, mal.* Weſenb. *num. 8. ff. quod met. cauſ. id. num. 4. de condit. inſt.* atqui multifariam fieri poteſt, vt creditores bona in ſolutum accipiant, nimirum ab initio ſtatim, & expoſtfacto poſt ceſſionem, ergo melius eſt id priori tanquam mitiori modo fieri; nam datio in ſolutum ſtatim ab initio nullam ingnominiam inurit, ceſſio autem bonorũ infamiam ſaltem facti affert, Weſenb. *n. ſ. ff. de ceſſ. bon.* Julius Pac. *in Iſagog. in pand. eodem tit. n. ſ. vid. ſup. q. 9. n. 58.* & vt Imperator *in Novella 4. §. agnoſcant*, loquitur, cum injuria, & effectu acerbo, debitorem ad id perducit, ad quod leviori & faciliori modo perduci maturiùs ſine omni labore, & ſine vlla diffidentia potuiſſet, *argt. §. his igitur inſtit. de I. & I.*

Atq; hæc abſolutè, & vniverſim loquendo
42. vera quidem ſunt, nihilominus, quia is * qui diſtinguit proximus eſt veritati, puto diſtin-
43. ctionem aliquam * hic adhibendam, ſcilicet, vtrum debitor vltrò velit res ſuas immobiles in ſolutum dare, an verò tunc, cum creditores inſtant, vrgent, & creditum exigunt, & bona debitoris vendi deſiderant.

44. In primo caſu videtur * datio in ſolutum non

non ſubſiſtere, tum per rationes dubitandi ſupra adductas, tum verò propterea: * quia 45.
Imperator in dicta Novella non obſcurè indicat, ſe id beneficium non aliter concedere, quàm ad inſtantiam creditorũ, id quod colligitur primò ex verbis: *verùm creditor ardeat aurum omnimodò quærens*, quod gl. ſic explicat, ardenter cupiat.

Secundò: etiam inde, quia Imperator vult in eo caſu locum habere, quo poſſet debitor bonis cedere, §. *agnoſcant autem &c.* atqui ſi creditores prorſus non inſtent, & vrgeant, nõ poteſt debitor bonis cedere, vt vidimus ſuprà *quæſt.7.* ergo &c.

In altero * caſu omninò locum habet in- 46.
ſolutum datio, idq; præter rationes ſupra adductas etiam ideo: quia creditor, * qui cupit 47.
ſibi ſatisfieri, cupit haud dubiè meliori modo fieri, quo poteſt; atqui aliter ipſi ſatisfieri non poteſt, (præſertim alio emptore non reperto, de quo paulò poſt) quam per dationem in ſolutum: Ergo tacitè * cùm exigit de- 48.
bitum, & bona vendi petit, videtur expoſcere prædia in ſolutum, quia hoc connexum quiddam, ſive correſpectivum, vel executivum eſſe videtur petitionis, Jacobus Schult. *pract. quæſt. q. 42. n. 18.* quæ autem connexa * inter 49
ſe ſunt, ſive correſpectiva, vnius rei loco ha-

bentur, *id. ibid. n. 19.* Gail. *1. obſ. 38. n. 8. id. de PP. c. 6. n. 5. & 6. & à n. 17. vſq; ad finem. id. obſer. 35. n. 16.* Mynſ. *cent. 4. obſer. 69.* Card. Tuſch. *lit. C. cõcluſ. 626.* alterumq; alterius cauſa finalis eſſe creditur, ita vt qui vnum eorum probat, alterum improbare nequeat, Schult. *loc. cit. n. 20.*
50. *& 21.* Vnde porrò ſic dico: Inſpiciendum* eſt, quod evenire poteſt *gl. in L. 5. §. 6. in argt. ff. de hu, qui dejec. §. poſteriore, inſtit. quib. mod. teſt. infirm.* atqui creditor ſcire debebat eventurum, vt ſi debitor nihil aliud habeat, vnde ſolvat, prædia ſua in ſolutum concedat (jura enim omnes ſcire debent, *L. leges 9 C. de LL. L. pen. C. de jur. & fact. ignor.*) ergo ſuæ imprudentiæ imputabit, ſi non præviderit, & præter ſuam voluntatem aliud pro alio accipere debuerit.
51. Cauti* proinde ſint creditores, vt ſi bonis immobilibus illis conſultum non ſit, prius diligenter inquirant, an pecunias debitor ha-
52. beat (vel aliunde * habere poſſit, *juxta Nov. 135. & ea quæ ſupra q. 9. condit. 1. tradidi, n. 28. vid. decad. 1. q. 5. n. 77.*) ſecumq; deliberent, an non meliùs ſit inducias debitori concedere, quam neceſſitatem ſibi recipiendorum bonorum inijcere. Quemadmodum enim extra hunc
53. caſum actor * rem bene explorare debet, certus eſſe de jure ſuo, & tunc demum ad agendum procedere, *text. in L qui in alterius 42. ff. de*
reg.

reg.juris. Card. Tuſch. *commun. pract. concluſ. lit. A. concluſ. 121*, & non, niſi * re bene medita- 54.
tâ litem ingredi. Weſenb. *n. 12. ff. de edend.* ita hic, non tantùm de jure ſuo, ſed de facto, & facultatibus ſui debitoris benè inquirere oportet, & conſilium * ante factum capere. 55.
Nov. 1. c. 3. non verò præcipitare, & inconſultò agere, quia præcipitatæ * deliberationis co- 56.
mes eſt pœnitentia, Weſenb. *num. 2. ff. de jur. delib.*

Cum igitur * invitus non cogatur agere, 57.
tt. C. vt nemo invit: agere, vel accus: cogatur. Cardin. Tuſch. *lit. A. concluſ. 241.* & in omnimoda ejus poteſtate ſit, quando experiri velit, *d. L. qui in alterius 42. ff. reg. juris.* alterutrum facere conſultum eſt, * vel abſtinere ab initio ab a- 58.
ctione, vel in progreſſu judicij, cum paupertas, & inopia innotuerit, mox iterum ceſſare; quamvis prius tutius ſit, quia diſcedere ab actione ſemel intentata non tam facile licet, & variationes * juri ſunt inimicæ, Schult. *loc.* 59.
cit. n. 14. Itaq; hanc cautelam * creditores be- 60.
ne notent, ne ad agendum hoc tempore facile proſiliant, niſi probare poſſint, quod debitor pecunias habeat, vel ab amicis, debitoribuſve ſuis de proximo habere, actioneſve cedere poſſit, juxta ea, quæ notavi ſupra *quæſt. 2. & q. 9. dicend. 6.*

SVMMARIA.

61. Reſp. ad prim. dub. rat. Quatenus in voluntate creditoris ſit, res immobiles accipere pro pecunia.

62. Quæ ab initio ſunt voluntatis, deinde fiunt neceſſitatis.

63. Neceſſitas non eſt, quæ ex voluntate trahit originem.

64. Imputet ſibi, qui ipſe neceſſitatem ſibi injecit.

65. Reſp. ſecund. Qui vult conſequens, debet etiam velle antecedens.

66. Non intereſt, ſolvatur id, quod eſt in obligatione, an verò alio modo ſatisfiat.

67. Reſp. tertia. 68. Correctio odioſa & evitanda.

69. Compilatorum juris oſcitantia à multis viris doctis reprehenſa.

70. Errores cur tam multi in leges irrepſerint.

71. Reſponſ. ad ſecund. rat. dub. & n. 72.

73. Regulæ juris generales non habent locum, quando lex ſpecialis quæſtionem terminat.

74. Generi derogatur per ſpeciem.

75. Regula non valet, vbi expreſſum jus contra vrget, aut aperta ratio contrarium evincit.

76. Neceſſitas non habet legem.

78. Ne-

78. *Neceſsitas licitum facit, quod aliàs non eſt licitum.*

79. *Inopia debitoris excludit, & duriore ſtatu conſtituit actionem creditoris.*

80. *In ſubſidium prædia pro pecunia petere & ſolvere licet.*

82. *Reſp. ad tert. dub. rat.*

83. *Diverſitas nominum arguit diverſitatem rerum.*

85. *Reſp. ad quart. dub. rat.*

87. *Datio in ſolutum an veniat jure actionis, an verò officio judicis?*

88. *Officij judicis imploratio quando in genere locum habeat?*

89. *Reſp. ad quint. rat. dub.*

90. *Poſteriora derogant prioribus.*

92. *Reſp. ad ſext. dub. rat.*

94. *Prædia in ſolutum non licet petere ſtatim, ſed tantum in ſubſidium.*

95. *Cur magis permittatur debitori in ſolutum prædia dare quam creditori petere.*

96. *Non debet reo licere, quod actori non licet, & contra n. 110.*

97. *Reſp. ad ſept. rat. dub.*

98. *Prædia venum prius exponi debent, antequam creditori in ſolutum dentur.*

99. *Requiſitum primum neceſſarium ad dationem in ſolutum.*

100. *Paria ſunt nullum invenire emptorem, & invenire talem, qui injuſtum pretium offerat.*
101. *Reſponſ.ad octav.dub.rat.*
102. *Incertitudo non obſtat in ijs, in quibus facile declarari poteſt.*
103. *Requiſitum ſecundum, quod judex bona æſtimare, & quomodo debeat?*
104. *Reſp.ad non.dub.rat.*
105. *Æſtimationes judicis ex magna cauſa retractari poſſunt. & n.109.*
106. *Pro decreto judicis ſtat præſumptio.*
107. *Læſionem allegans in æſtimatione judicis eam probare debet.*
108. *Requiſitum tertium.*
109. *Retractatio æſtimationis debitori & creditori permittitur.n.105.*
111. *Reſp.ad decim.dub.rat.*
112. *Datio in ſolutum fit ſecundum quantitatem debiti.*
113. *Inæqualitas ſeminarium diſcordiæ eſt.*
114. *Æqualitas mater concordiæ.*
115. *Requiſitum quartum.*
116. *Reſponſ.ad rat.dub.vndecim.*
118. *Requiſitum quintum.*
119. *Prædia meliora in ſolutum danda & quare. 120.*
121. *Qui gravatur in vno, non eſt mirum, ſi relevetur in alio.* 122.Ele-

122. Electio ſpectat ad debitorem in alternatiuis.

123. Requiſitum ſextum.

124. Reſp. ad duod. dub. rat.

125. Vbi textum habemus, ceſſare debet dubitatio.

126. Concluſio. Limitatio prima. 127. Secunda. 128.

129. Epilogus.

AD rationes dubitandi nunc quod attinet, Reſp. ad primam: vel * eatenus eſſe in voluntate, & arbitrio 61.
creditoris, res immobiles accipere pro auro, quatenus in ipſius arbitrio, & volũtate repoſitum eſt, contra debitorem actionem inſtituere: ſed quemadmodũ in multis alijs capitibus juris, ea quæ * ab initio ſunt voluntatis, deinde fiunt neceſſitatis, *L. in commodato 17. §. ſicut 3. ff. commodati L. ſicut 5. C. de O. & A.* ita fieri poteſt & hic, vt poſtea cogatur præter voluntatem ſuam aliquid experiri, quando nimirum contra debitorem ita exarſit, vt inſtantiæ alligatus ab actione recedere, & amplius pœnitere non poſſit, vid. Gail. *1. obſer. 74. n. 4. & 5.* ſed hæc abſolutè, & juridicè loquendò neceſſitas * non eſt, quia ex voluntate trahit originem, *argt. L. cum duobus 52. § f. ff.* 62. 63.

pro ſocio, vnde conqueri non poteſt, ſed ſibi
64. * imputare debet, qui talem ſibi neceſſitatem
injecit, *per L.7.§.1.in f. ff. qui ſatiſd. cog. L.2. §. ſi
quis tamen 8. ff. ſi quis caut.* Vel aliter Reſp.
quod ſit volens virtute conſequentiæ, nam
65. qui * vult conſequens, debet etiam velle antecedens, *argt. L. 56. ff. de procurat*: ergo qui
vult, vt ſibi ſatisfiat, cum ſciat, vel ſcire debeat, nullam aliam ſolvendi viam ſupereſſe, hoc
ipſo vult bona immobilia ſibi in ſolutum dari, cum & hæc ſit ſpecies ſolutionis, & ſatis-
66. factionis, & non * interſit, ſolvatur id, quod
eſt in obligatione, an verò alio modo ſatisfiat,
L. ſi rem 9. §. omnis 3. v. ſatisfactum ff. de pign. act.
67. *L. ſolutionis 176. ff. de V. S.* Vel denique * tertiò
mihi non religioni ducerem Reſpondere lectionem iſtam non eſſe veram, ſed corruptã,
& loco illorum verborum: damus creditori
licentiam volenti immobiles res accipere
pro auro, &c. legendum eſſe: damus debitori licentiam volenti immobiles res dare pro
68. auro. Nam licet * correctio odioſa ſit, & vbique evitanda, *argt. L. ſancimus 27. C. de teſtam.*
tamen quia ex antecedentibus, & conſequentibus magna diſſonantia oriretur, ſi in hoc
tenore perſiſterent verba illa, credibile non
69. eſt, quod per compilatorum * oſcitantiam,
& incuriam, (quam tamen viri docti ſæpiùs
repre-

reprehendunt, vt Weſenb. *in Addit. ad. Schn. inſtit. de perpet. & temp. act. num. 5. circa f. id* Weſenb. *num. 9. §. ſed vbi ff. de pact.* Oſterman. *ad §. f. inſtit. de ſociet.* Hotoman. *in lib. emendationum.* Alciatus *in 4. lib. diſpunctionum, & prætermiſſorum*, Cujac. *in notis ad 4. inſtit. lib. & in obſervat. & emendat. lib. 24.*) ſed potius per imprudentiam, & imperitiam ſcribarum irrepſerint. * Nam librariorum munere 70.
olim ante divinum typographiæ inventum fungebatur genus hominum imperitiſſimum, vt auctorum libros exſcriberent; fungebantur & notarij compendio quodam numerorum, vel notarum ſcripta exprimentes. Sed & puellarum id penſum fuiſſe, vt eo labore nonnunquam ſibi dotem quærerent, aliqui prodiderunt. Quot autem inde bonis quibuſque auctoribus vulnera impreſſa ſint, tute intelligis, dum literarum figurâ, & ſimilitudine decepti, ij quorum id opus erat, aliud verbum pro alio reponerent, & ejus rei, quam verba ſignificabant, neſcij, totam ſententiam corrumperent. Qua de re vide brevem, ſed pulcherrimum tractatum Joan. Mercerij, quem Conciliatorem inſcripſit, vbi plures alias errorum cauſas detegit, & pandit. Et hæc de prima ratione dubitandi.

Ad

71. Ad * ſecundam, & aliquot ſequentes Reſpondere poſſum ſimul & ſemel cum Jacob. Schultes. *quæſt. 42. num. 22.* locum his regulis in præſenti caſu non eſſe, propter Novellam 4. nominatim his adverſariam. Quoties
72. * enim lex in promptu eſt, quæ propoſitam quæſtionem propria in materia ſpeciatim terminavit, non eſt ab ea diſcedendum propter ſententias juris generales, & à præſenti materia paulò remotiores, per tradita Alexandri in *L. ſed etſi quis 4. §. quæſitum 4. num. 15. verſ. præterea. ff. ſi quis caut.* Id quod videtur habere hanc rationem, quia ſicut aliàs, ita
73. & hic generi, * ſive legi generali derogatur per ſpeciem. *c. generi 34. de reg. juris in 6.* & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem
74. directum eſt, *L. in toto 8. ff. eodem.* Vnde * regula non valet, vbi expreſſum jus contra vrget, aut aperta ratio contrarium evincit, (tunc enim officium perdit, *L. 1. ff. de reg. juris.*) ſed in caſu non deciſo tantum, Caniſ. *in pr. de reg. juris in 6.*

Vt tamen ſingulas rationes dubitandi diſcutiam, ideo volo gradum facere & Reſp.
75. ad * ſecundam, regulam illam: quod aliud pro alio invito creditori ſolvi non poſſit,
76. communiter ſic à Dd. limitari: * niſi ex ne-
77. ceſſitate fieret. Nam quia * neceſſitas non habet

habet legem, *L. de pupillo 5. §. ſi quis rivos. 11. cum duobus ſeqq. ff. de oper. nov. nunc.* & quod
* non eſt licitum in lege, neceſſitas facit li- 78.
citum, *c. quod non eſt 4. extra de reg. Iuris.*
ideo etiam in caſu neceſſitatis, * ſi debitor 79.
pecuniam non habet, & emptorem non reperit in rebus ſuis, poteſt res ſuas meliores in ſolutum dare, *auth. hoc niſi. C. de ſolut. d. Novell. 4. §. quod autem, & ibi.* Matth. Stephani. *num. 32.* In hanc ipſam ſententiam Jacob. Schult. *quæſt. 42. num. 24.* jura, inquit,
ea, quæ aliud pro * alio invito creditori ſol- 80.
vi vetant, nominatim ſic limitantur, vt ob debitoris inopiam ſuſcipere teneamur id, quod debitor dare poteſt, pro ſe allegat Bart. *in L. mutuum. 2. §. mutui datio 1. num. 21. ff. ſi cert. pet.* Ludovic. Rom. *conſil. 163. num. 4.* ejuſque rei rationem evidentiſſimam affert;
nam ſi propter * inopiam adverſarij adimi 81.
prorſus videtur actio creditori, *L. nam is nullam 6. ff. de dolo*, multò facilius duriore ſtatu poteſt collocari. Cui addere licet hanc: ſi actori licet in ſubſidium rem immobilem pro pecunia petere, licebit etiam reo, ſi aliud non habeat, prædia pro pecunia ſolvere, *auth. hoc niſi C. de ſolut.*

Ad tertiam dubitandi * rationem Reſp. 82.
quod datio, & adjudicatio in ſolutum proprie

priè non ſit emptio, id quod conſtare poteſt
83. primò ex diverſitate * nominum, quæ arguit diverſitatem rerum, *L. ſi idem 7. C. de codicill.* Cardin. Tuſch. *lit. D. concl. 517.* quia etiam tunc, quando res æſtimatæ in dotem dantur, concurrunt merx, & pretium, & tamen dotis datio naturam ſuam, & diverſum titulum retinet, *L. vn. §. cum lex 15. C. de rei vxor. act.* quamvis de emptione, & ven-
84. ditione aliquid participet. Deinde * Reſp. ſi in neceſſitate aliquis cogitur emere, & vendere, Socin. *regu. 435.* cur non etiam in ſolutum accipere?
85. Ad quartam Reſp. * Obligationem dandi præciſam quidem eſſe, & invariabilem,
86. quamdiu * facultas dandi rem illam ſupereſt, eâ verò deficiente variari poſſe, qua de re egi pluribus ſupra *decad. 1. q. 8. num. 40. cum ſeqq. item numero 60. item q. 9. num. 31. cum ſeqq.* Aliter Reſp. Henric. Agylæus *ad d. Novell. 4.* quod præſes ex officio aſſignare debeat prædia pro modo debiti; id quod colligitur ex verbis: *præſides præparent dari*, vt ita in ſolu-
87. tum datio * non veniat jure actionis, ſed of-
88. ficio judicis. Huc facit regula * tradita à Ioan. Sichardo *ad rub. C. de collat. n. 16.* vbi ait: quando verba legis diriguntur ad ipſum judicem, tunc per illam legem non intelligitur data

actio

actio aliqua, ſed tantummodo imploratio officij judicis, idq; multis textibus & exemplis oſtendit.

Ad * quintam Reſp. Id quod ibi allegatur, 89.
procedere de jure Codicis, noſtram vero aſſertionem de jure Novellarum, quæ conſtitutiones cum ſint poſteriores, haud dubiè potiores ſunt, * & prioribus derogant, *L.f.ff. de conſtit. Princip. L.1.ff. ad l. Aquil. L.20.ff. de LL. c. vlt. de reſcrip. in 6.* aliter Reſpondet Jacob. Schult. *ſæpe cit. q.42. num.26.* id intelligi oportere, cum * alia adhuc ſolvendi media ſuppetunt: quod ſi autem omnia penitus deficiunt, inanis etiam omnis de culpa debitoris querela eſt, cum nullus alius culpæ hujus vindicandæ modus ſuperſit, *argt. L. nam is nullam 6. ff. de dol.* 90. 91.

Ad * ſextam Reſponderi poteſt eodem modo, quo ad quintam reſponſum fuit, alij tamen adhuc aliter Reſpondent * creditores non rectè poſtulare ſibi bona ſui debitoris addici, Benevenut. Stracha *in tract. ſuo de decoct. p.7. n.4.* vbi *n.5.* addit libellum non procedere, neq; admittendum, in quo peto mihi in ſolutum dari bona debitoris mei, *vid. ſup. q.9. n.26. & 27.* quoniam creditor in ſubſidium tantum admittitur alio ſcilicet ad emendum non accedente, *L. ordo. C. de execut. rei jud.* 92. 93.

Alij

Alij reſpondent quod *d. L. 6.* ita intelligenda
94. ſit, vt non * liceat ſtatim petere, Gothofred.
ibid. ad d. L. 6. lit. R. & ratio eſt, quia id debeo
petere, quod eſt in obligatione, res autem in
obligatione non ſunt, ſed in ſolutione, ſive
executione, vt alibi fuſiùs declarabo. Et
quamvis *in auth. hoc niſi* expreſsè dicatur,
quod creditori rem immobilem liceat pete-
re, tamen ex verbis adjectis vtcunque clarè
intelligitur, illud tantum in ſubſidium fieri
poſſe; nam eo modo licet rem prædictam
creditori petere, quomodo licet debitori ſol-
vere: atqui debitori non aliter licet ſolvere,
niſi in defectu emptorum, Ergo quoque cre-
ditori non aliter licet petere. Deinde poſi-
to, quod creditores non rectè peterent, non
tamen ſequeretur, quod debitores non rectè
95. in ſolutum darent. Ratio * enim diverſita-
tis, quare creditor non poſſit res pro pecunijs
petere, cum tamen debitor poſſit res pro pe-
96. cunijs ſolvere, actoriſque * & rei æqualis de-
beat eſſe conditio, *per c. prudentiam f. extra. de
mut. pet. L. non debet 42. ff. de Reg. Iuris.* Jacob.
Schult. *quæſt. 42. num. 31.* videtur colligi poſſe
ex textu Novell. 4. *in princ. ſtatim.* ibi: à no-
» bis tamen propter clementiam ſancitur, &
» *in §. rerum in f. ibi:* ſed hoc quidem fit cle-
» mentiâ quadam clarâ legis. Quid autem
indu-

induxeritImperatorem ad hanc clementiam, manifeſtavi ſupra, priuſquam ad contraria reſpondere inciperem.

Ad ſeptimam * Reſp. etiam in noſtro ca- 97.
ſu & propoſito ante omnia debere bona *de- 98.
bitoris immobilia venum exponi, & ſicubi nullus emptor inveniatur, deinde primùm creditoribus in ſolutum dari, vel adjudicari; *vid.q.9.n.39.* vt non obſcurè colligitur ex verbis *d.Nov.4.§.ſed ſi.* vbi Imperator ipſe hac vtitur moderatione: ſed ſi nec quiſpiam (emptor) immobilium ejus rerum adſit, creditore frequenter etiam divulgante, tunc judices præparent ſubtili æſtimatione factâ rerum debitoris dari in ſolutum, vt ſupplet gloſſa. Et in §. *agnoſcant*; id ipſum innuit Imperator his verbis: ſi itaq; creditor paratus eſt præparare quendam emptorem, neceſſitatem habere debitorem hoc agere, id eſt vendere. Vnde licet deducere

Primum * requiſitum ad hoc, vt poſſit 99.
quis bona ſua immobilia in ſolutum dare, ſcilicet ante omnia permittendum eſſe creditori, vt ea bona publicè exponat, & de emptore aliquo proſpiciat, nullo deinde reperto ſibi in ſolutum habeat. Quid ſi autem emptor aliquis compareat, qui nimis modicum pretium offerat? Reſp. adhuc cogetur

creditor in ſolutum habere; quia * paria ſunt
100. neminem velle emere, & non veile juſto pre-
tio emere, Schneid. §. *libertas n.6. inſtit. de ſing. reb. per fideic. relict.* confer notata ſupra *q. 9. n. 41. & 42.*

101. Ad * octavam dubitandi rationem Reſp.
102. incertitudinem non obſtare * in ijs, in quibus facilè declarari poteſt, Weſenb. *n.3. ff. de aliment. legat.* quemadmodum hic, nam judicis eſt controverſiam hanc dirimere, & bona æſtimare, & hoc eſt

103. Secundum * requiſitum in hac materia: vt ſcilicet judex bona æſtimet, *vid. q. 9. n. 47.* non juxta voluntatem creditoris, & debitoris, ſed juxta præſcriptum Juris. Vnde Imperator *in §. ſed ſi inf.* requirit ſubtilem æſtimationem, quomodo autem ſubtilis illa æſti-
104. matio ſit facienda, videbimus alibi.

Ad * nonam dubitandi rationem Reſp. quod ea procedat & loquatur de illis tantum
105. æſtimationibus, quibus læſio aliqua creditori contingit: eas autem ex magna * cauſa retractari poſſe, non dubito, modò cauſam illam creditor liquidò probaverit, Jacob. Schult. *ſæpe cit. q. 42. num. 28. & 29.* Rationem poſterioris reddit Anton. Gabriel. *commun.*
106. *concluſ. l. 3. de empt. & vend. concluſ. 1. num. 63.* quia vbi adeſt * decretum judicis, ex quo habet præſumptionem pro ſe, quod non adſit
læſio,

læſio, propterea qui in hoc caſu * læſionem vult allegare, illam debet evidentiſſimè probare, Gratt. *in conſ.15. col.2. vol.2.* Et hoc eſt 107.

Requiſitum * tertium: vt nimirum taxa- 108.
tio & æſtimatio judicis ſit juſta, ſubtilis, & ſine alterutrius partis læſione, nam * hæc æſti- 109.
mationis retractatio ex cauſa juſta etiam debitori permittitur, Schult: *loc. cit. num. 30.* nec
immeritò: non * enim licet actori, quod reo 110.
licitum non exiſtit, *c. non licet 32. de reg. juris in 6. c. 2. extra, de mut. pet. L. quæ omnia 25. ff. de procurat. L. non debet 41. ff. de reg. juris.* Card. Tuſch. *lit. A. concluſ. 119.*

Ad decimam * dubitandi rationem Reſp. 111.
ideo in Nouell. 4. §. *ſed ſi nec.* inter cætera ex-
preſsè proviſum eſſe, vt creditoribus * de- 112.
tur in ſolutum poſſeſſio immobilis, ſecundum quantitatem debiti, ne qua inæquali-
tas (quæ * ſeminarium eſt diſcordiæ, *Dd.* 113.
ad L. inter filios 11. C. fam. herciſc. in auth. in ſucceſſione C. de ſuis & legitim: quemadmo-
dum æqualitas * mater concordiæ. Weſenb. 114.
in parat. n. 1. ff. de collat. bon.) inde oriatur, & hoc eſt

Requiſitum * quartum in hac materia, 115.
vid. notata ſupra *q. 9. n. 45.*

Ad vndecimam * Reſp. etiam his malis 116.
obvia-

obviari *in Novell. 4. c. 3.* nam imprimis debitor, qui bona in ſolutum creditori tradit, de-
117. bet * cautionẽ pro evictione præſtare, quam præſtare poſſibile eſt, §. *ſed ſi nec, ibi cum tali cautela.* & hoc eſt
118. Requiſitum * quintum, *vid. q. 9. num. 51.*
„ Deinde rerum datio ita eſt inſtituenda, vt
119. „ quæcunque quidem * meliora ſint, credi-
„ tori dentur, quæ verò deteriora, apud debi-
„ torem poſt debiti ſolutionem manere ſi-
„ nantur. *text. in §. rerum vero datio.* vbi Impe-
120. „ rator ipſe rationem reddit his verbis: * et-
„ enim non erit juſtum, dantem quidem au-
„ rum non valentem, ſed coactum ſuſcipere
„ poſſeſſionem immobilem, vel non melio-
„ ra rerum debitoris percipere, & per hoc ha-
„ bere conſolationem, quia ſi aurum non re-
„ cipit, aut aliquid rerum, quæ portari poſ-
„ ſunt (id eſt mobilium) tamen licet ei poſ-
„ ſeſſionem non inutilem habere, *vid. q. 9. n. 48.* Vno verbo vult dicere Imperator: Qui
121. * gravatur in vno, non eſt mirum, ſi relevetur in alio, *L. eum qui 30. in pr. ff. de jurejur.* cum Ergo creditor gravetur in hoc, quod præter voluntatem teneatur aliud pro alio in ſolutum accipere, in hoc iterum relevatur, quod ipſe poſſit rem vnam præ alia, & meliorem præ deteriore eligere, quod eſt contra reg: juris

ris communem, ſecundum quam electio * 122.
ſpectare deberet ad debitorem, *L.plerumq; §. vlt.in f.ff.de jure dot.L.ſi quis ſervum 10. C.de cōdict.indeb.L.ſi in emptione 34. §.ſi emptio 6.ff.de contrah.empt. §.ſi quis agens.v.huic autem inſt. de act.c.in alternativis.70.de reg.Iuris in 6.* Et
hoc eſt Requiſitum * ſextum. 123.

Ad duodecimam * dubitandi rationem, 124.
Reſp. neg: conſeq.tum quiá ceſſant rationes ſupra *decad.1.q.9.* allatæ, tum quia habemus text.*in auth.hoc niſi*, vbi in terminis dicitur, quod rem immobilem debitori liceat ſolvere,& creditori liceat petere,vbi verò *textum 125.
habemus, ceſſare debet dubitatio, Bald. *in L. ancillæ C.de furt.*

His ita in vtramq; partem diſcuſſis * con- 126.
cludo, & dico: debitorem à creditore exactum,poſſe illi,etiam invito res ſuas immobiles in ſolutum dare. Quam tamen concluſionem

Limitat primò * Cujac. *ad Novell. 4. mihi* 127.
*fol.54.*non habere locum, ſi debitor ſe ſpecialiter nexuerit carceri. Sed hoc improbat Matth.Steph.*ad Nov.135.n.14.* & Coler.*p.1.c. num. 114.*

Limitat * ſecundò Brunus, vt is qui in pe- 128.
cunia ſolvere juravit, non liberetur offerendo rem meliorem,quam habet,in ſolutum,

quæſt.

quæſt.34.quartæ quæſt. princip. vbi vide. vid. decad.3.q.7.n.109. & ſeqq.

129. Ordinis * ratio nunc poſtularet, vt dicerem de eo, quomodo æſtimatio iſta eſſet ineunda, verum quia animus eſt in hoc tractatu de hoc tantum agere, quinam debitorum, & in quantum poſſint conveniri, ideo illud in alium locum reijcio, vbi quomodo varijs in caſibus æſtimatio facienda ſit, paulò fuſiùs oſtendam. Interim potes videre Huniũ *in tract. de rer. æſtimat.* Dn. Philippum Zorerum *q.7. per tot.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE